



Specimen exegetico-theologicum de poëtica dictione in Epistola Jacobi

<https://hdl.handle.net/1874/312632>

SPECIMEN EXEGETICO-THEOLOGICUM

DE

POËTICA DICTIONE IN EPISTOLA JACOBI.

AMSTERDAMI

ARTIS DICTION IN BRISTOL

ANZESTE SUOMO NUNIA

DE APOSTOLICIS NUNCIIS

JACOBI VAN HALLI

DE APOSTOLICIS NUNCIIS

1702

AMSTERDAMI

POSTULANTIA FACULTAS THEOLOGICA

in Theologia

1702

THEOLOGIA HONORIBUS

IN ACADEMIA BRISTOL-TRINITY

1702

THEOLOGIAM HONORIBUS

GERARDUS VAN ERNUNTER

1702

1702

1702

1702

1702

1702

SPECIMEN EXEGETICO-THEOLOGICUM

DE

POËTICA DICTIONE IN EPISTOLA JACOBI,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JACOBI VAN HALL,

ORD. LEON. NEDERL. EQUITIS, ORD. COMON. QUERN. DECURIONIS, JUR. ROM. ET
MOD. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

GERARDUS VAN LEEUWEN,

e Pago Gouderak.

S. S. MINISTERII CANDIDATUS.

A. D. XXII MENSIS JUNII ANNI MDCCCLV, HORA I.

TIELIS,

APUD H. C. A. CAMPAGNE.

MDCCCLV.

Nach dem glanzvollen Tage, den Christus, wie eine alles
belebende Sonne, in's Dasein rief, zieht Jacobus, wie ein
milder Mond an einem erquickenden Abend, in himmlischer
Feler an unsere Seele vorüber und lässt uns des Genusses
des groszen Tages, mit sanften Tönen und lieblichen Bildern
noch einmal erfreuen.

GEBSER.

MATRI OPTIMAE CARISSIMAE

NEC NON

AVUNCULO DILECTISSIMO,

JOHANNI ANTONIO VAN OOSTVEEN,

ARNHEMIENSI,

VIRO SPECTATISSIMO,

SACRUM.

UNIVERSITY OF TORONTO

A. S.

UNIVERSITY OF TORONTO

UNIVERSITY OF TORONTO

UNIVERSITY OF TORONTO

UNIVERSITY OF TORONTO

UNIVERSITY OF TORONTO

UNIVERSITY OF TORONTO

UNIVERSITY OF TORONTO

UNIVERSITY OF TORONTO

L. S.

Nobilissimus Theologorum Ordo in Academia Rheno-Tra-
jectina quum, anno MDCCCLII, hanc proposuerat quaestionem:

»Potiores, quibus Epistolae orationem illustrat Jacobus, ima-
gines comparationesque grammaticae explicentur atque aesthetice
judicentur,»

ex Regis Augustissimi munificentia, aureo praemio ornari fe-
liciter mihi contigit. Abrogatâ autem lege, quâ responsa ad
quaestiones Academicas, sumtibus publicis, in Annalibus, pro-
dire solebant, multi, quos magni facio, viri mihi fuerunt auc-
tores ut opusculum, omni, qua decet, cura, retractatum et
elaboratum, dissertationis instar in lucem ederem. Hoc vero
consilium, quod et mihi deinde haud displicuit, quominus prius
ad finem sit perductum, plures, me invito, impediverunt res.

His praemonitis, superest ut grati animi fungar officio erga Celeberimos, quos in Academia habui, praeceptores. — Ante omnes ad vos me converto Clarissimi BOUMAN et VINKE, Theologiae Professores! Si quae in hac ipsa dissertatione inveniuntur non plane spernenda, aut si aliqua in me est sacras litteras interpretandi ratio, quam sentio tamen quam sit exigua, omnia, juxta Unum Deum, vobis debeo, qui regiam, quã in nostris disciplinis procedendum sit, viam mihi aperire tam publicis lectionibus quam familiaribus colloquiis, nunquam desistis. Vestrorum erga me meritorum gratissimam semper servabo memoriam. Deus O. M. corporum vestrorum succurrat imbecillitati, ut Academiae ornamento, Ecclesiae Christianae saluti diu esse pergatis!

Utinam hinc alium quoque compellare possem praeceptorem, virum dico desideratissimum, quem tam mature rebus humanis abreptum omnis dolet Patria nostra! At quo graviore afficimur luctu tristem et inopinatum optimi ROYAARDSII recordantes obitum, eo magis Divina celebranda est Providentia, quae locum ab ipso relictum mox a te occupari jussit Clarissime TER HAAR! Promotor aestumatissime! Sinceras accipias gratias pro singulari tua erga me benevolentia, quã Promotoris provinciam in te suscipere mihi, in specime retractando, optimis tuis consiliis humaniter adesse haud recusasti. Si quid mea valent vota, gravissimum, quod auspiciatus es doctoris Academici

munus tibi ipsi erit felix faustumque, atque Ecclesiae nostrae graviter commotae quam maxime salutare!

Neque, solemni hac opportunitate, vos silentio praeterire fas est Clarissimi Viri, quorum in litteris humanioribus egregia institutione frui mihi licuit. Pluribus nominibus me tibi praesertim obstrictum sentio Praestantissime KARSTEN! Non solum primo curriculi Academici spatio sed et postea, privatis tuis institutionibus mihi exististi dux ac magister exoptatissimus. Quot quantaque tua erga studiosam juventutem sint merita non est ut publice profitear; omnes sciunt gratique nunquam obliviscuntur discipuli.

Grato animo tuum etiam nomen hîc recordor doctissime TYDEMAN, Gymnasii Tielensis rector! Pulchri, veri justique amore me imbuere, inde a puerili aetate ad hunc usque diem, omni ratione curasti. Maxima tua erga me est benevolentia; cujus nuperrime novum praebuisti documentum et aliis quidem rebus, et egregiâ, quam in vitis typographicis corrigendis, posuisti operâ. Summum Numen ut favore Suo tibi nobilissimaeque tuae prope adsit familiae ardentissimis rogo precibus.

Valete et vos Sodales Suavissimi! Quorsum nos nostra fata devocant, amicitiae vinculum, vobiscum contractum, ut in dies magis magisque confirmetur equidem vehementer opto. Vivite felices meique ne sitis immemores!

*Tu denique Deus Optime Maxime! in Christo, Illustrissimo
Filio tuo, nobis Clementissime Pater! Pro mera tua benignitate
quot beneficiis me accumulasti! Hujus etiam peracti laboris
laus et gloria Tibi uni sit quem adorari decet τον πάτρα
των φώτων, παρ' ὃν οὐκ ἔνι παραλλαγή ἢ τροπῆς ἀποσ-
κίασμα.*

LIBELLI CONSPECTUS.

	Pag.
Introitus.....	1.
Fluctuatio fidei. C. I. S. 6.....	5.
Christianum hominem tam arduis quam lactis aequo animo frui decet. C. I. S. 9—12.....	9.
Peccati ejusque sequelae origo ab ipso homine repetenda. C. I. S. 14 et 15.....	16.
Quidquid a Deo descendit, bonum est. C. I. S. 17.....	24.
Verbum divinum non modo audiendum, sed etiam in <i>πραξίν</i> conver- tendum. C. I. S. 22—25.....	33.
Fides sine operibus nulla. C. II. S. 14—17 et 26.....	41.
Summa linguae vis. C. III. S. 3—5 ^a	49.
Summa linguae vis singulatim in malam partem. C. III. S. 5 ^b et 6.	56.

Lingua feris domitu difficilior. C. III. S. 7 et 8..... 67.

Diversus unius ejusdemque linguae usus. C. III. S. 9—12..... 72.

Patientia hominis Christiani. C. V. S. 7..... 76.

Alii nonnulli loci, poëticis distincti coloribus, breviter explicantur. (C. I.
 18. 21. C. IV. 14. C. V. 4)..... 80.

1820

Ita ut de hanc dissertationem est de Jacobo episcopo...
 tam non est pluribus de hanc dissertationem...
 tantummodo hanc verbo compleverunt.
 Tunc est eadem, quod fortasse prohibitas, duo...
 Jacobo. Alter Xabed et Salomonis filius, de hanc...
 etiam. Hanc epistolam scripturam hanc subscriptiones et non...
 nulla alia vultatis testimonium; quod tamen non satis...
 praeter sibi invicem repugnant. Accedit hanc tam tam...
 necesse esse, ut ex crederi possit eam epistolam hanc...
 Alter est Jacobus minor, filius Alphaei sive Epiphanii...
 etiam hanc hanc, maris Iesu (Joh. XIX. 28. Marc. XV. 40).
 non habuit Iohannem sive Thaddeum. Hanc...
 voce a hanc; i a consecratus homini.

1) Hanc de hanc dissertationem si quis...
 hanc de hanc hanc et hanc hanc hanc...
 1820, p. 100. Contrarium hanc hanc hanc...
 hanc hanc hanc, hanc de hanc hanc...
 hanc hanc hanc 1841, hanc hanc hanc...
 in hanc hanc 1850, p. 484.

2) hanc hanc hanc in hanc hanc hanc...
 hanc hanc hanc hanc hanc hanc...
 hanc hanc hanc hanc hanc hanc...
 hanc hanc hanc hanc hanc hanc...

INTROITUS.

Jam ab aevo disceptatum est de Jacobi epistolae auctore. Nostrium non est pluribus de hac quaestione agere ¹⁾. Sufficiet tantummodo haec verbo commemorare.

Tres vel saltem, quod fortasse probabilius, duo memorantur Jacobi. Alter Zebedaei et Salamonis filius, ab Herode morte multatus. Hunc epistolae scriptorem faciunt subscriptiones et nonnulla alia vetustatis testimonia; quae tamen non satis antiqua, praeterea sibi invicem repugnant. Accedit hunc Jacobum tam mature necatum esse, ut vix credi possit eum epistolae fuisse auctorem.

Alter est Jacobus minor, filius Alphaei sive Clopae et Mariae, sororis Mariae, matris Jesu (Joh. XIX: 28. Marc. XV: 40). Fratrem habuit Judam sive Lebbaeum sive Thaddaeum. Hic Jacobus vocatur ἀδελφός i. e. consobrinus Domini ²⁾.

¹⁾ Plura de hac quaestione si quis scire cupit adeat Doct. A. H. Blom, Disput. de τοῖς ἀδελφοῖς et ταῖς ἀδελφαῖς τοῦ κυρίου Lugduni-Bat. 1839, p. 156. Contrariam profitentur sententiam Schneckenburger in annotatione ad ep. Jacobi; Wieseler, über die Brüder des Herrn, in den Theologischen Studien 1842, atque Guericke, Historisch-Kritische Einleitung in das Neue Testam. 1839, p. 484.

²⁾ Apellationem ἀδελφῶν in usu loquendi latius patere indicant Gen. XIII: 8. ubi Abraham et Loth secundum LXX ἀνθρώποι ἀδελφοί vocantur, Gen. XIX: 15 Laban Jacobo ἀδελφός μου et alibi.

Hujus viri consilium ceteri Apostoli in conventu Hierosolymitano secuti sunt (Act. XV) Hegesippus apud Eusebium narrat eum fuisse episcopum ecclesiae Hierosolymitanae; eundem vero, quem cognomine τοῦ δικαιοῦ ornaverant, deinde morte violenta a Festo necatum.

Admodum probabile hunc epistolae esse scriptorem.

Nulla certa ratio afferri potest, ob quam authenticam hujus epistolae in dubium vocaremus. Tuentur illam versiones anti-quissimae Syriaca 1) et Latina. Clemens Romanus nec non Athenagoras, Irenaeus, Chrysostomus, modo addito, modo omisso Jacobi nomine, epistolam laudarunt. Origines mentionem de ea facit verbis usus «ἐν τῇ φερομένῃ Ἰακώβου ἐπίστωλῃ,» quae tamen non in malam partem vertenda, quandoquidem mos erat patrum, et scriptorum ejus aetatis sic loqui etiam de libris, quos agnoscebant; sic e. g. Eusebius de 1 Joh. Eusebius eam τοῖς ἀντιλεγόμενοις annumerat, attamen non negat a plerisque ejus authenticam esse acceptam. Patres etiam Sec. IV, item Hieronymus et Rufinus, eam agnoverunt. — Imprimis a Sec. XVI multi, ut videtur, praejudicatis ducti opinionibus, varia moverunt dubia, quorum vero maxima pars facile tollitur si nobis constat de epistolae aetate.

Sunt qui Jacobi epistolam recentiorem habent Paulinis epistolis. Putant enim in ea inveniri refutationem falsarum opinionum, quae si eos audimus, ex doctrinae Paulinae abusu originem ducebant. Sed, ut recte monuit Michaëlis 2), errores, quos oppugnat Jacobus, diu jam ante Christi et Pauli aetatem apud Judaeos exstiterant.

1) Syriaca versio, quam si non primo, certe secundo assignant seculo, hanc solam epistolam ex ἀντιλεγόμενοις habet; ceterae recentius additae.

2) Die Lehre von der Rechtfertigung, die unser Brüder bestreitet, ist die alte jüdische und nicht eine unrecht verstandene lehre Pauli: und die Sünden, vor denen er warnt sind solche, als unter den Juden gewöhnlich und von den Neubekehrten mit in der Christliche Kirche genommen waren. Denn die ersten Christliche Gemeinde muss man sich nicht als Gesellschaften lauter wahrhaftig Wiedergebörner vorstellen.

Nonnulla epistolae insunt testimonia, quae indicare videntur eam omnium antiquissimam esse conscriptam. Primum enim ex C. I. 1. ubi generatim dicitur »φυλαῖς ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ" non »τοῖς ἐκλέκτοις ἐκ τῶν κ. τ. λ." et ex II. 2. ubi συναγωγή de Christianorum conventu, qui V. 14 ἐκκλησία vocatur, patet, Judaeos conversos nondum separatos vixisse a Judaeis ἀπιστοῖς, quae dissociatio seriori demum aetate facta est. Praeterea argumenti expositio tota Judaice conformata, quod eo facilius explicatur quo propiori Christo aetate scripta est epistola.

Quod ad argumentum attinet patet scriptorem universe voluisse consolari et a vitiis abstrahere. Christianos prima jam aetate satis gravibus obnoxios calamitatibus erigit spe alterius vitae et simul iis commendat pietatem, in malis patienter ferendis perspicuam. Deinde multa quae irrepserunt vitia reprehenduntur. Auctor imprimis copiosus est in refutando gravissimo errore, quo Judaei veram pietatis indolem quaerebant in sola religionis cognitione et professione.

Tota in epistola regnat practica ratio. Rerum Christiano credendarum parca ac minus diserta fit mentio. Si quae generis dogmatici breviter attinguntur, latius tamen patent. De primariis Theologiae Christianae placitis, de salutari Christi morte et resurrectione ne verbo quidem agitur. Imo vero auctor Cap. V, ubi plurima affert patientiae exempla, summum Domini exemplum afferre negligit. Primo obtutu difficillimum sane aenigma. Quodsi autem in memoriam revocemus, Jacobum epistolam scripsisse prima aetate; lectoribus tum Judaeo-Christianis recens Domino addictis, tum, quod valde probabile, Judaeis etiam nondum conversis, admiranda elucet ejus prudentia, quâ argumentum ad lectoris captum accommodavit.

Superest ut pauca addam de Jacobi genere dicendi 1). Epi-

1) De pulcherrima Jacobi epistolae forma egregie monuerunt praeter Doct. Blom l. l. p. 173, seqq. C. G. Welke, die neutestamentliche Rhetorik, Dresden und Leipzig 1843, § 150, atque imprimis C. G. Kuechler, de Rhetorica epistolae Jacobi indole. Lipsiae 1818.

stolae forma optime congruit viro origine Hebraeo, de quo simul constat eum postea continuo degisse Hierosolymis, ubi pulchra aderat opportunitas Graecae linguae bene addiscendae. Multa inveniuntur, quae Judaicam produnt scriptoris indolem. Non tantum plures occurrunt hebraismi, sed etiam quam plurima dicta atque exempla ex Vet. Testam. desumpta. Ab altera vero parte haud pauca reperiuntur vestigia purioris Graeci sermonis 1), quae probant eundem scriptorem in optimis literis Graecis non mediocriter fuisse versatum.

Plurima sunt, quae orationis elegantiam et gravitatem mirifice augent. Dominatur in tota epistola sententiosum illud et argutum dicendi genus, quo Orientalibus nihil usitatus. Nulla autem res orationi majorem addit vim et pulchritudinem, quam quae frequentes adhibentur imagines comparationesque. Hinc nimirum fit ut oratio pedestris interdum poëticis imbuta sit coloribus. In iis comparandis auctor plerumque ante oculos habuisse videtur scriptores tam Graecos quam imprimis Hebraicos. Singulatim Jesaiam, Salomonem, J. Syracidem. Quos tamen libere imitatus est, ita quidem ut peculiaris laus ei non deneganda sit se multo dilucidius ac pulchrius similitudines exposuisse. Id suo loco indicare nobis in animo est. Ceterum, hic est, quem praecipue in nostra commentatione spectamus, finis; ut ex parte ad totum concludentes, demonstramus Jacobi epistolam, quoad sermonis elegantiam, vix ulli cedere aut Graecorum aut Romanorum classico scripto.

1) Linguam bene Graecam referunt hae dicendi formulae: *λείπεσθαι πραγματὸς τινος*. I. 5, *εἶναι ταχὺν εἰς τὸ ἀκοῦσαι, βραδὺν εἰς τὸ λαλῆσαι*. I. 19, *παρακύπτειν εἰς τι*. I. 25, *βάλλειν χαλινοὺς εἰς τὰ στόματα*. III. 3, *οὐ χρή ταῦτα οὕτω γίνεσθαι*, vs. 10. *ἢ ἄνωθεν σοφία*, vs. 17. *ἰποδείγμα λάβειν τίνα*, multaeque aliae.

CAPUT I. SECT. 6.

FLUCTUATIO FIDEI.

Ταλαίπωροι οἱ δειψυχοὶ οἱ διακρινόμενοι
τὴν ψυχὴν.

CLEMENS ROM.

Ἀιτείτω δὲ ἐν πίστει, μηδὲν διακρινόμενος· ὁ γὰρ
διακρινόμενος ἔοικε κλυδωνι θαλάσσης ἀνεμιζομένῳ καὶ
ἔπιζομένῳ.

Petat vero cum fiducia, nulla in re ambiguus; am-
biguus enim similis est fluctui maris, ventis agitato et
jactato.

Jacobus, in praecedentibus, Christianos admonuerat divinam
quaerere sapientiam, quā iis opus erat ad injurias Christi causa
sibi illatas fortiter tolerandas. Pergit n. l. in cohortando: »quis-
quis vero divinam illam sapientiam impetrare vult, caveat ne ani-
mus ulla commoveatur dubitatione, neve ambiguus sit utrum optata
vel certe sibi salutaria assecuturus sit 1). Is enim qui non omnem
in Deum reponit fiduciam, neque ejus curae, se suaque omnia

1) ἐν πίστει *confidenter*, ulterius explicatur addito μηδὲν διακρι-
νόμενος, sine ulla fidei dubitatione. Διακρίνομαι proprie dicitur de eo,
qui haesitat in judicando. Paulus (1 Tim. II: 8) jubet προσέτιχθεαι
χωρὶς ὀργῆς καὶ διαλογισμοῦ.

pie credit, nequaquam stabilis esse potest, sed circumagitur et dispellitur tanquam *maris undae, quae ventis agitatae huc illuc jactari solent* ¹⁾).

Cum omnes scriptores, qui aliquid valuerunt elegantiore dicendi genere, sive soluto sive ligato usi sint sermone, tum praesertim poëtae Hebraeorum, ornamenta seu lumina orationis quam plurima ex rerum naturalium imaginibus depromere solent. Immensa, quam quotidie contemplari fas est, universitas infinitam suppeditat notionum varietatem, unde imagines, veluti oratoria quaedam suppellex, colliguntur. Ex hac autem, quam mens humana ex universa undique natura haurit imaginum copia, eae maxime omnium sunt clarae et illustres, quae oculorum sensu facile percipiuntur.

Talis omnino imago est, quae h. l. occurrit. Ducitur a mari turbulento, ventis graviter jactato, cum quo componitur homo fide ambiguus. Similitudinis punctum positum in utriusque rei *exagitatione sive inquietudine*.

Eandem maris inconstantis imaginem adhibet Jesaias C. LVII: 20, ad depingendos improbos malis commotos cupiditatibus ²⁾).

¹⁾ Ἀνεμιζομένην καὶ ῥιπιζομένην. Recte vertit Latherus «von Winde getrieben und gewehbet.» Utrumque ἀπαξλεγόμενον Ἀνεμιζεσθαι ventis agitari; ῥιπιζεσθαι (cum Bretschneidero potius a ῥίψ vimen flexile, unde ῥίπις flabellum quod ulro citraque movetur, quam a ῥίπτειν rapere, jacere ducendum) significat jactari. Si quaedam inter has voces distinctio est facienda illud potius ad causam, hoc ad effectum referamus. Verumtamen saepius synonyma habentur.

²⁾ Hoc potissimum consilio maris fluctuantis imago saepius usurpatur a scriptoribus senioris aetatis. Si de nostratibus quaeris nescio an nemo gravius atque elegantius eam exposuerit quam P. van der Willigen, dum videbat doctissimus sacrorum interpretes in urbe Tielana. Ille igitur, quem hic honoris causa commemoro, in oratione sacra de Esth. V: 13 ita audireus alloquitur: Bevodt gij u immer, in het midden van eenen hevigen storm, aan den oever der zee; zaagt gij daar hare baren, voortgezweept door den wind, zich beurteliugs hemelhoog verheffen en dan wegzinken tot eene grenzenlooze diepte; sloegt gij het geweld der rijzende en

Improbi sunt ut mare commotum; quiescere enim non possunt, expelluntque aquae ejus coenum et lutum i. e. quemadmodum mare, dum saevit in littora, emittit sordes, sic impii, pravis ducti cupiditatibus, malitiam suam produunt ¹⁾.

Alio consilio adducitur a Paulo, Ephes. IV: 14. *μηκέτι νήπιοι ὦμεν κλυδωνιζόμενοι καὶ περιφερόμενοι παντὶ ἀνεμῷ τῆς διδασκαλίας.* Ibi sermo est de hominibus, qui aliorum fictâ atque falsâ doctrinâ tanquam fluctus, ventorum vi agitati huc illuc moveri solent.

Solemnis est auctoris comparatio, summa cum gravitate atque pulchritudine conjuncta. Quid enim inconstantius et magis intranquillum fingi potest, quam mare impetuosum, ventis graviter jactatum. Orta tempestate, subito fluctuant undae magnoque cum murmure et strepitu modo ad sidera sese tollunt, modo in profundum revolvuntur abyssum. Repentino motu semper aliam eamque variam praebent faciem. Talis tantaque est instabilitas hominis fide ambigui. Spes sola est res, quae efficere possit ut

alles met zich slepende golven, het schuimen en koken der afgronden gade; ontwaarde uw oog, zooer het over de onmetelijke vlakte reikte, nergens rust of kalnte, maar overal even geweldige beweging, onafgebroke en schrikwekkende beroering? Dan hebt gij een levendig en treffend beeld gezien van een gemoed, ten prooi gegeven aan de woede van zijne driften. Beurtelings wordt het opgebeurd door hoop en ter nedergeslagen door vrees. Aangegrepen door het geweld van den hoogmoed, van den nijd, van de jaloezij of van de wraakzucht wordt het voortgedreven, geschokt, geslingerd, voortgestooten even als een schip onder het geweld der golven; of neêrge-smakt met onweêrstaanbare kracht in den onpeilbaren afgrond van wauhoop en vertwijfeling." Nagelatene leerred. 1849, p. 62.

1) Ad hunc locum Clericus: »De ejusmodi animis dicere possis, quod Ovidius de se Trist. l. Eleg. 10, 33.

Cumque sit hybernis agitatum fluctibus aequor

Pectora sunt ipso turbidiora mari."

Apud Judam, s. 12, homines nonnulli, qui ecclesiae erant dedecori, vocantur *νεφέλαι ἀνδρῶν ὑπο ἀνέμων παραφερόμεναι* *χίμαρα ἀγρία θαλάσσης.*

homo, quacunq̄ versatur vitae conditione, mediis etiam in aerumnis, quietum conservet animum. Ille vero qui dubitat atq̄ diversis perturbatur cogitationibus, certis caret principiis, quibus firma niti debet spes, quemadmodum mare ventis jactatum absque ullo videtur esse fundamento. Haud aliter igitur atq̄ illud fluctuat semper, scilicet spem inter et metum. Incertus utrum Deus, precibus exauditis, ipsi auxilium praestiturus sit, nunc huc nunc illuc tendit, continuo mutans vitae proposita et instituta. Quidquid modo neglexerit, modo summa virium contentione assequi studet; laudat ea, quae paucis ante vituperavit. Ut maris undae tempestate agitatae perpetuo surgunt caduntque, sic ille nunc Deo Christoque se dedicat, nunc, in contrariam abiens partem, terrestribus ingurgitur rebus.

Evidentissima haec est similitudinis nota, fluctum maris inter et hominem haesitantem, quam indagandam scriptor lectoris reliquit curae 1).

1) Cum hujus loci argumento digna sunt quae conferantur Christi dicta Matth. XXI: 21 seqq. cf. XVII: 20, Pauli Rom. IV: 19 sqq.

CAPUT I. SECT. 9—12.

CHRISTIANUM HOMINEM TAM ARDUIS QUAM LAETIS AEQUO ANIMO

FRUI DECET.

Aequam memento rebus in arduis

Servare mentem, Non secus in bonis

Ab insolente temperatam

Lactitia. HORATIUS,

Rebus angustis animosus atque

Fortis adpare. Sapienter idem

Contrahes vento nimium secundo

Turgida vela. IDEM.

Sect. 9. *Καυχᾶσθω δὲ ὁ ἀδελφός ὁ ταπεινός ἐν τῷ ὕψει αὐτοῦ.*

» 10^a. *Ὁ δὲ πλούσιος ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ.*

Glorietur autem frater humilis de sublimitate sua.

Fortunatus vero de humilitate sua.

Ὁ ἀδελφός ὁ ταπεινός ¹⁾, frater Christianus, qui humili versatur statu externo jubetur *καυχᾶσθαι* i. e. *gloriari, felicem se praedicare ἐν τῷ ὕψει αὐτοῦ ob animi nobilitatem*, perspicuam eam in rebus adversis fortiter perferendis. Ab altera parte ὁ πλούσιος debet se felicem praedicare ²⁾ ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ.

¹⁾ ὁ ταπεινός latiore sensu accipiendam esse docet sequens imago, qua non solum auri argentique, sed aliarum etiam fortunarum (e. g. gloriae, formae pulchritudinis cett.) fragilitas describitur. Itaque h. l. notat *pauperem rerum externarum*, sicuti oppositum ὁ πλούσιος intelligendum de homine opulento *rebus externis affluenti*.

²⁾ *καυχᾶσθω* etenim ex praecedentibus suppleo. Alii substituunt vocem

Quaeritur quanam potissimum justa sit interpretatio vocis *ταπεινωσις*. Duae prae ceteris sese commendant sententiae. Sunt qui cum Gebsero *ταπεινωσις* explicant de *humilitate, vilitate sortis in quam tunc temporis divites etiam, Christi causa, facile incidere potuerunt* 1). Ne vero alia commorem, quae huic interpretationi obstant, hac ratione, ut recte monuit Theilius, infringitur gnomica dictionis vis et concinnitas. Magis igitur mihi placet sententia eorum, qui hic intelligunt *humilitatem animi* i. e. *modestiam* sive *submissam pietatem*. Concedo sic *ταπεινωσις* paullo inusitatius accipi sensu. Attamen haec interpretatio minime recedit a sacrae scripturae consuetudine. Satis enim constat S. S. miseros et infortunatos tanquam pios atque demissos saepius sibi informare 2). Neque N. T. desunt loci, in quibus nostrae voci inest notio *modestiae* 3). Accedit denique cum ipsam rem, tum hoc loquendi genus egregie illustrari loco e Xenophonte, a Raphelio 4) scite adducto (de Rep. Lacedaem. p. 540): *ἐν τῇ Σπάρτῃ οἱ κρατιστοὶ καὶ ὑπερχόνται μάλιστα τὰς ἀρχὰς, καὶ τῷ ταπεινοὶ εἶναι μεγαλύνονται*. Hic τῷ ταπεινοὶ εἶναι μεγαλυνέσθαι idem declarat, quod apud Jacobum *ἐν τῷ ταπεινώσει κωχασθαι*, illudque aequè tribuitur *τοῖς κρᾶτιστοις*, atque hoc τῷ *πλουσίῳ*.

Igitur admissa hac interpretatione optime procedit oratio. In

contrariae significationis (*ταπεινούσθω, ἀσχύνεσθω*) alii aliam (e. g. *φοβείσθω*).

1) Gebserus suam interpretationem explicat his verbis: der Reiche rühme sich, frene sich seiner *Erniedrigung* (in die er durch die Verfolgungen, die er als Christ zu erwarten hat, gelangen kann) und lasse sich nicht betrüben, wenn er seinen Reichthum verliert, der edlere Reichthum seiner seele bleibt ihm doch.

2) Cf. Matt. V: 10 seqq. Luc. VI. 20 seqq.

3) Cf. Luc. I: 48. Art. VIII. 33.

4) H. G. Raphelius, annot. philol. in N. T. ex Xenophonte collectae Hamburgi 1720, p. 325.

utroque parallelismi membro transitus fit a re externa ad rem internam. Pauper gloriatur *nobilitate sua*; contra dives non habet, quo gloriatur nisi *humilitate sua* 1). Dictio est *παρadoxologia*, quae singulari brevitate id effecit ut maximi quique interpretes in diversas abierint partes. Nostrum non est diutius hic subsistere, quandoquidem ea, quae diximus sufficient ad vinculum indicandum, quo sequens imago cum hacce cohortatione cohaereat. Scilicet Jacobus eo consilio deinceps versatur in divitiarum seu divitum fragilitate comparanda cum tenuitate herbarum, ut luculenter appareret stulte omnino agere pauperem qui propterea, quod rebus careat terrestribus se dolore affici sinat. Animi eum nobilitas (*ὑψος*) quam per fidem Christo habitam nactus est ipsi, nullo non temporis momento, uberrimam praebet laetandi materiam. Praeterea hortatur divitem sese abstinere ab omni gloriatione de fortunis, quippe quae cito perituris 2).

Sect. 10. ὅτι ὡς ἄνθος χόρτου παρελεύσεται·

» 11. *Ἀνέτειλε γὰρ ὁ ἥλιος σὺν τῷ καύσωνι, καὶ ἐξηράνε τὸν χόρτον, καὶ τὸ ἄνθος αὐτοῦ ἐξέπεσε, καὶ ἡ εὐπρέπεια τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἀπόλετο· οὕτω καὶ ὁ πλούσιος ἐν ταῖς πορείαις* 3) *αὐτοῦ μαρανθήσεται.*

1) «Die Erkenntniß seiner Niederk. ist für ihn der grösste Gewinn, dieser Niedrigk., in welcher er sich im Chr. erblickt, möge er sich allein rühmen.» Ceterum Auctor idem fere hic praecipit, quod Cicero, Offic. L. I. C. 26: quanto superiores simus, tanto nos submissius geramus.

2) Praeter Horatiana, supra allata, hic in memoriam revocare liceat elegantissimum Schilleri dictum:

Nicht an die Güter hänge den Herz,
Die das Leben vergänglich zieren!
Wer besitzt, der lerne verlieren,
Wer im Glück ist, der lerne den schmerz!

3) Haec vulgaris lectio. Alii iique minores codices legunt *πορείαις*. Quae

Quia sicuti flos herbae praeteribit 1).

Ortus enim est sol una cum vento ardente 2) et exsiccavit herbam et flos ejus decidit et decus formae periit, sic etiam dives in suis incessibus marcescet.

Tria potissimum sunt rerum momenta, quae huic loco mirificam addunt vim et suavitatem. Primum in censum veniunt *tempora*, quae in descriptione sibi elegit scriptor. Etiam si sermo est de re *praesenti*, tamen ubique utitur *tempore aoristo* (ἀνέτεϊλε, ἐξήρανε; ἐξέπεσε, ἀπόλετο); quod tempus quodammodo respondet Hebr. *praeterito prophetico* Lat. *perfecto*. Haec, ut dicitur, temporis anticipatio poëtis imprimis sacris propria, magnam orationi conciliat efficaciam. Sic enim res adhuc eventura ita certa habetur ut tamquam facta ante oculos depingatur. Deinde scriptoris bene dicendi facultas admiranda in *elegantî sententiarum constructione*. Diversas sententias ἀσυνθετῶς conjunxit; nimirum, recte monente Winero 3), ut hac ipsa co-

lectionis varietas explicatur ex familiari librariorum τοῦ ἐν et ε permutazione. Unus codex habet ἐνπορίας. Hammondus legendum conjicit ἐμπορίας; nulla adest ratio, ob quam a vulgari recedamus lectione.

1) παρελ. παρερχέσθαι. plerumque de rebus fugacibus, quae esse cito desinunt.

2) ἀνέτ. — καύσων. Nonnulli dictum putant pro ἀνέτ. ὁ ἥλιος καύσων explicantes de aestu solis sive *meridiano* sive *aestivo*. At desideratur vox αὐτοῦ, quod tum vix adesse posset. Praeterea, hac admissa interpretatione, ἀνέτεϊλε ὁ ἥλ. minus recte accipitur non de sole *oriente* sed de sole *medio* s. diei s. anni. Mihi quidem nullum superest dubium, quin hic intelligendus sit ventus orientalis, vehementer furens, fortasse Eurus (Hebr. עִוֶר Arab. Samoum dictum), de quo ventu satis constat eum comitari solere solis ortum. Jon. 4. 8.

3) Winer, Grammatik 5 aufl., pag. 553, coll. 321 ἀνέτεϊλεν ὁ ἥλιος κ. τ. λ. drückt das Schnelle Versengen der Graspflanze treffender aus, als ἀνατεϊλάς ἐξήρανε vgl. veni, vidi, vici, nicht veniens vidi oder veni vidensque vici. Aufgehen und Versengen ist eins, nicht: nachdem sie aufgegangen ist, pflegt sie zu versengen. Gerade dadurch dass die einzelnen

ordinatione quodammodo exprimeret, quam cito herba flore destituatur. Quae subita floris decisio, iterum convenit cum subito modo, quo divites rebus suis privari solent. Neque igitur interponendis particulis conjungendi (ὅς, ἐάν), neque alia ratione hunc locum ita circumscribere possumus ut eadem maneat dictionis vis atque gravitas.

Animadvertenda denique *justa vocabulorum copia et delectus*. Ad sententiam plenam reddendam sufficeret si scriptor tantummodo dixisset. »Sole orto cito cadet flos herbae.» Attamen quo dilucidius res enarretur, quoque mentionem facit de *vento Orientali* sive *Euro* 1). Recentioribus si fidem habere licet peregrinatoribus hicce ventus per tres menses saevire solet (mense Junio, Julio et Augusto) spirans per brevissimum duxtaxat tempus, quod septem minutis fere absolvi solet. Sed vel tamen eo brevissimo tempore maximas calamitates afferre potest. Etenim tanta est ejus vis perniciosa ut »longo flatu per arenas ardentes magnam exhalationum sulphurearum et nitrosarum copiam colligens totos diruat campos hominesque ipsos interficiat.» Quid? si idem ille ventus flaverit supra herbae florem 2) quae quam tenuis et infirma sit nemo ignorat 3). Revera tum fit, quod

Momente durch verba fin. ausgedrückt sind, wird die Schnelle Aufeinanderfolge anschaulicher dargestellt.

1) Ventus hic variis cognominibus vocatur רִיחַ קָרִים ventus ab oriente i. e. ex Arabiae desertis flans, זֶלְעָפָה ventus magni aestus, שַׁעַר קָטָכַ ventus urens vi venenata, כָּעֵר רִיחַ ventus urens, עָה רִיחַ ventus nitoris, quod ignea sua vi herbas omnesque plantas comburit et ita efficit ut nuda fiat terra. Ceterum monet Theilius imaginem eo esse aptiorem, quam poenae divinitus missae cum illo vento comparari solebant. Vid. Job. XXVII: 19—21. Ezech. XVII: 10. Hos. XIII: 15.

2) ἄνθος χορτοῦ. — eleganter pro simplici χόρτον Hebr. עֵשֶׁב.

3) Erasmus in hunc locum: »Arbores quoniam altis nituntur radicibus ac solido robori fulciuntur, diu virent; quaedam etiam perpetuo, nec ventorum injuria nec brumae vigore viroris gratiam ponentes. At herba..... mox ubi sol efferbuit, succo suo destituitur, quo temporiam illam floris gra-

a Jacobo copiose rei que naturae consentaneum narretur, herba succo suo destituitur 1), flos ejus perit, et deponitur formae deus. Herbarum fragilitas in similitudinem adducitur cum instabili divitum sorte. Jacobus, hac in comparatione libere imitatur veteres poëtas Hebraeos. Imprimis ob oculos habuisse videtur notissimum Davidis effatum Ps. CIII. S. 15 et 16. »*Hominis aetas similis est gramini; floret sicuti flos in campis. Vento si afflatur, nusquam est, nec agnoscit eum amplius locus ejus* i. e. *non amplius habet inquilinum suum*; nec minus Jesaiae locum CXL. S. 5 et 6, *omnis caro est gramen, et omnis gratia ejus ut flos agri. Aret herba, cadit flos, si spiritus Jehovae in eum flat* 2).»

Hic mentio fit ventus orientalis nomine רוח יהוה.

Jam eo pervenimus ut imaginis elegantiam et aptitudinem paucis exponamus. Summa vero cautio hic a nobis adhibenda est ne plura comparationi inesse putemus quam quae, sanis adhibitis hermeneuticae regulis, ex ea peti possint, quem scopulum ne sagacissimi quidem viri semper evitarunt. Sic M. Stuart in oratione sacra 3) hujus loci pulchritudinem leviter attingens praeter alia huc referenda conjicit: Jacobum *tristissimum ecclesiae Christianae statum sui temporis* repraesentare voluisse sub imagine *floris herbae*. Quae conjectura fortasse admitti potest. Sed quod deinceps addit idem vir doctissimus »*solem urentem* designare *solem*

tiam alebat. Itaque caulis languescens jam florem suum nec alit nec sustinet; sed arescit, senescit, emoritur, collabitur, quod paullo ante tanta gratia blandiebatur hominum oculis.

1) ἐξ ἐπεσε. ἐκίπτεον usurpatur de iis, quae repente dilabuntur e. g. de stellis quae antiquis videbantur subito de coelo descendi; h. l. eleganter de subita floris decisione.

2) Eadem inago reperitur Ps. XXXVII: 2 sqq. XC: 5 et 6. Job. XIV: 2. Recentiores scriptores saepius eam adhibent e. g. E. Schulze cecinit:

Wenn sich im Lenz die Bäum' am höchsten färben
Hat eine Nacht die Blüthen bald zerstreut,
Auf Flügeln naht dem Glück sich der Verderben.

3) M. Stuart, Leerreden 3^e deel, 4 leerred., p. 46, evit. 2.

iustitiae sive *evangelium*, a probabilitate non magnam habet commendationem. Ingeniosa sane haec, dubito autem utrum scriptoris menti conveniant et consilio. Jacobus ipse *tertium* indicat *comparationis*: οὕτω καὶ ὁ πλοῦσιος... μαρανθήσεται. Quemadmodum herbae et plantae sic etiam divites flore suo subito destituuntur.

Ad amplificandam similitudinem additur illud: ἐν ταῖς πορείαις αὐτοῦ *in suis incessibus* 1). Tropica est dictio, cujus origo repetenda ex Hebraeismo, ubi verba *eundi migrandique ad vitam* referuntur. Auctor *πορείας divitis (αὐτοῦ)* memorans procul dubio spectat magna opera, consilia ceteraque hujus modi, quibus splendida ipsius vita distinguitur. Mediis ex hisce cunctis eripi solet, sicuti flos herbae saepissime marcescit priusquam effloruerit. Talem omnino rerum humanarum esse sortem ipsa comprobatur experientia. Ecce mors venit et corripit inopinatum. At mortem si excipis, quot restant casus, quot calamitates, quibus afflicti ex sublimi, quam adscenderant, sede dejiciuntur divites nobilesque. Qui nunc splendet auro gemisque mox paupertate depressus, mendicando vitam trahit miserrimam. »Iris enim est subito, qui modo Croesus erat.» Quem hodie numinis instar colunt homines, cras ubi reflaverit aura popularis nominis celebritatem amittit et nisi quid pejus ei accadat, civibus immiscetur vilissimae sortis.

Tota generis humani historia hujusmodi abundat exemplis; verum multo frequentiora illa erant aetate Apostolica, quam Christiani dirissimas subire debebant persecutiones. Quae omnia luculenter docent *fortunae inconstantiam* commode ac graviter comparari cum *herbarum tenuitate*.

1) Herderus et Schneckenburger hic intelligenda statuunt *itinerata mercaturae causa suscepta*, quae etiam memorantur C. IV. v. 13 et 14. »Welch ein" ait ille »schöner sinn in Jac. bilde: mitten auf solchen Zügen sollten sie dahin sein! Wie etwa der wasserstrom Hiobs (VI: 15—20) in der Wüsten, wie das Kraut unter dem Gluthaueh (der sonne oder des brennenden Windes).» Recte, ut scite monet Theilius, si lectio *ἐμπορείας* ferri posset.

CAPUT I. SECT. 14 ET 15.

PECCATI EJUSQUE SEQUELAE ORIGO AB IPSO HOMINE REPETENDA.

Ἦ πόποι, ὅιον δὴ νῦ θεοὺς βροτοὶ ἀτιμῶνται!
 ἔξ ἡμέων γὰρ φασὶ κακ' ἐμμεναι· οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
 σφῆσιν ἀτυσθαλίησιν ὑπερμῶρον ἀλγέ ἔχουσιν.

HOMERUS.

Ἐναντι ἀνθρώπων ἡ ζωὴ καὶ ὁ θάνατος καὶ
 ὁ ἔαν ἐνδοκῆσθ' ἰδοθήσεται αὐτῷ.

JESUS SIRACH.

Sect. 14. Ἐκαστος δὲ πειράζεται ὑπὸ τῆς ἰδίας
 ἐπιθυμίας, ἐξελλκόμενος καὶ δελεαζόμενος.

» 15. Ἐἴτα ἢ ἐπιθυμία συλλαβοῦσα τίπτει ἁμαρ-
 τίαν ἢ δὲ ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα ἀποκτείνει
 θάνατον.

Quisque vero tentatur ¹⁾ sua ipsius concupiscentia,
 abstractus et quasi allicitus. Deinde ²⁾ concupiscentia

1) πειράζεται. πειράζω tento aliquem sive in bonam sive in malam partem; h. l. posteriore sensu de sollicitatione ad peccandum; sugulativum, ut videtur, ad deserendam religionem Christianam. De vocabulorum πειράζω, πείραν λαμβάνειν et πειράσμος in N. T. significatione fuse egit Pott. Excursus I. ad epist. Jacobi.

2) ἔττα. post aliquod temporis intervallum.

ubi concepit ¹⁾ parit peccatum ²⁾; peccatum vero adultum gignit mortem.

Nulla tempore defuerunt homines, qui ut ipsi essent excusati, malorum culpam ad Deum deferre solebant. In pessimo hoc errore redarguendo auctor versatur. (S. 13—19). Primum monet Deum neque ipsum tentari ad malum neque alium quemquam seducere (S. 13). Deinde docet peccati ejusque sequelae originem ab homine ipso esse repetendam (S. 14 et 15). Tertio indicat tantum abesse ut Deus aliquem ad malum alliceret, ut potius ab ipso nulla nisi bona atque perfecta descendant (S. 17 et 18). De secunda pericopa nunc nobis est agendum.

ὑπὸ ³⁾ τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας. Ἐπιθυμία, quam Plato ἡδονήν, Cicero *voluptatem* vocat, duplici usurpatur sensu. In genere indicat unumquemque animi motum, quo aliquid acquirere cupimus seu *concupiscentiam*, quae per se minime improbanda, tum demum mala fit, quando rationis luce careat ac regimine. Quum vero constet concupiscentiam illam sedem habere ἐν τῷ σαρκί adversanti τῷ πνεύματι, plerumque in malam accipitur partem *de pravis affectibus* ⁴⁾. Hanc significationem h. l. voci inesse docet sequens imago *meretricis*; quae ceteroquin parum apta esset. Praeterea, si bono accipitur sensu, non video, quid sibi velit adjectum ἰδίας. Nostra autem recepta interpretatione, illa

¹⁾ συλλαβοῦσα. nonnulli interpretes substituunt ἐν γαστρὶ, alii ἐκ τοῦ ἀνδρός. Sed similitudo mulieris et modus quo concepit non ita sunt urgenda.

²⁾ ἁμαρτίαν. Cogita *factum, delictum*, minime *vitiositatem*, quod nunquam significat. Propr. aberratio a via praescripta. ἡ ἁμαρτία. i. q. το ἁμαρτανεῖν. Cf. Bretschneider in voce.

³⁾ ὑπὸ referendum ad *πειράζεται*, non ad sequentia participia.

⁴⁾ Hoc sensu saepius occurrit apud Paulum. Ille vero accurate dicens plerumque addit substantivum adjectivi vim habens. Eph. IV: 22. ἐπιθυμίας ἀπάτης. Gal. V: 16. ἐπιθυμία σαρκός. Coll. III: 5 ἐπιθυμία κακῆ. Tit. II: 12. ἐπιθυμία κοσμική.

vox non sine gravi causa additur. Nam post ea, quae Jacobus monuerat ad demonstrandum peccati originem non a Deo, sed ab homine ipso esse repetendam, lector rogare possit »undenam igitur illa prava cupiditas? fortasse hujus origo a Deo deducenda est.” Cui objectioni auctor respondet: origo pravae cupiditatis minime extra nos, sed in nobis est quaerenda. Trahit *sua* (*ἰδία propria*, quod ad *originem* et *qualitatem*) quemque voluptas 1).

ἀποκύει θάνατον. Diu putaveram hic intelligi *mortem physicam* quemadmodum notissimo loco Rom. V: 12. Sententia habet magnum praesidium in antiquissima Judaeorum opinione qua *illam mortem* sequelam habebant peccati, ex narratione Mosaica Gen. II: 17 seqq. 2). Jacobo igitur, ad Judaeos scribenti, a recepta opinione vix recedere licuit sine planiore rei explicatione. Video autem ab altera parte, in fine hujus epistolae 3) *mortem eamque peccati sequelam* morali occurrere sensu. Quapropter prudenter agere videmur si nostro loco *θάνατον* paullo latiore accipimus significatione, qua continet *omnis generis miseriam ac perniciem quae peccatum sequuntur tam in hoc quam in altero vitae stadio* 4). Attamen negare

1) Si quis vero nobis objiciat sic Jacobum, peccati (*ἁμαρτίας*) originem deducendo ex peccato (*ἐπιθυμία*) difficultatem de mali moralis origine non tollere, sed differre, reputet ille neque ejus fuisse consilium, ut originem indicaret *vitiositatis* (de zonde), sed tantummodo docere unde nascatur *peccatum*, *quatenus illud consistit malefactis* (de zonden). Ex ordine enim, qua progreditur oratio sect. 13 haud temere effecimus, auctorem nonnullos reprehendere Christianos, qui eo ducebantur stultitiae ut Deum accusarent, siquidem per injurias, Christi e. sibi illatas, ad *ἀπιστίαν* deflexerant. Ad hanc evertendam opinionem Jacobus demonstrat causam *τῆς ἀποστασέως* omniumque malorum quae inde oriuntur, quaerendam esse in hominis ipsius prava cupiditate.

2) Sap. II: 24 et alibi.

3) C. V: 20. »ὁ ἐπιστρέψας ἁμαρτωλὸν ἐκ πλάνης ὁδοῦ αὐτοῦ, σώσει ψυχὴν ἐκ θανάτου.”

4) Ad confirmandam hanc interpret. Theilius aliique *Morum* (Hermen.

non possum me in re paullo difficilliore dubitanter quodammodo sententum enunciare.

Jacobus h. l. indicat unde et quo deinceps modo peccatum nascatur. Fontem peccati habet propriam uniuscujusque cupiditatem, qua homo ad mala facienda seducitur. Ut hanc disputationem illustriorem ac magis perspicuam redderet, elegantissimâ utitur *προσωποποιία* 1). Abstractam concupiscentiae notionem persona induit et veluti agentem in scenam producit. Ἐπιθυμία enim partes agit mulieris lascivae, quae innocentes in suum allicit amplexum 2). Ubi concepit, *ἀμαρτίαν* parit.

Hanc similitudinem profanis scriptoribus minime fuisse inusitatam testes sunt Plato, qui (sec. Dion. Longin.) *τὴν τῶν ἐπιθυμιῶν οἰκησίν* dixit *γυναικῶνιτιν*, et Cicero qui (Off. 2. 10) voluptates vocat *blandissimas dominas*, majores partes animi a virtute detorquentes.

Etiamsi nostra imago tam perspicuitate quam gravitate excellent, dubito tamen utrum hodiernus scriptor in solemnî disputa-

N. T., p. 92) secuti in subsidium vocant locum paral. Rom. VI: 23 ubi *θάνατος* opponitur *τῷ ζωῇ αἰωνίου*. Minus recte. Etiamsi *θάνατος* de physica morte accipimus servatur antithesis, quae nostro etiam loco, coll. cum Sect. 12, inest. Cf. Meijer in annot. ad hunc locum.

1) De hujusmodi figuris, quibus orationem illustant sacri scriptoris egregie monuerunt, R. Lowt, de sacra poësi Hebraeorum. Lipsiae 1815. C. G. Wilke l. l. J. Heringa. Annot. ad Keilii Herm. Sacra. in ejus *Operib.: exegeticis et hermeneuticis* quae edid. clar. H. E. Vinke, praeceptor aestumatissimus.

2) *ἐξελλόμενος καὶ δελεαζόμενος*. Haec participia indicant modum *τοῦ πειρασμοῦ*. Kern vertit *ἐξελεσθαι* abstrahi a bono, *δελεάζεσθαι* (*inescare a δελίαρ esca exposita* ad capienda animalia) allici ad inhonesta. Utraque vere metaphoram habens a *piscatu* et *aucupio* specialiter ad *meretricum* traducitur *illecebras* e. g. Aristoteles Pol. V: 10. *καὶ παρὰ τῆς γυναικὸς ἐξελευσθεῖς.* Plato (sec. Dion. Long.) *τὴν ἡδονὴν τῶν κακῶν δελίαρ,* sed imprimis vid. elegans Socratis adversus Aristippum de voluptate disputatio, qua insignis hujus metaphorae continetur explanatio. Memor. l. 2.

tione ea uteretur, quippe quae petatur a re obscoena et abjecta (re venerea). At si huic similitudini quaedam insint, quae nostrae aures haud facile ferre possent, cavendum ne propterea Jacobum reprehendendum putemus. Etenim hic omnino ratio habenda est antiquitatis. Diversitas morum et vitae rationis effecit ut multa, quae hodie dictu noxia et illicita sunt, antiquitus non ita haberentur. Singulatim quod ad nostram imaginem attinet haec animadvertenda sunt.

Veteres poëtae Hebraei, ne divinissimo quidem excepto Iesaja, Jacobo praecesserunt in similitudinibus sibi comparandis desumptis iis a re venerea. Adhibuerunt eas plerumque in accusanda vana idolorum religione; interdum etiam in exsiliis gentium fatisque imperiorum describendis (Jes. XLVII: 2, 3 etc.) Ili igitur quum in talem incidunt imaginem fere nullum verborum tenent modum. Exquisite inhonesta dicunt. Turpissimos amores plane et propriis verbis describere solent ¹⁾, nimirum eo salutari consilio ut horror, qui inde capitur, lectorem a peccato abstraheret. Tantum vero abest ut licentioribus descriptionibus virtuti nocuerint, ut vix dici possit, quantum haec ipsa res valuerit ad pessimos aequalium mores emendandos. Aliam rationem multi inierunt recentioris aetatis scriptores. Turpia et inhonesta non nude spectanda nobis praebent, sed studiose velis obtegunt. Verumtamen ea ratione moribus plus nocuisse quam profuisse videntur. Etenim constat libidinem magis excitari malo velando quam prorsus nudando. Quo tectiores describuntur res, eo plus gratiae et illecebrarum habent.

Sed aliud quid est, quod contra hanc dicendi licentiam afferri posset. Non adeo inhonestum sed rusticum dicimus virum talia turpia describentem. Fortasse igitur culpandi sunt veteres quod pudoris neglexerint legem. Haec objectio facile tollitur si dis-

¹⁾ Testes hujus rei praeter alia Jes. LVII: 7, 8, 6. Jeremias II. Ezechiel XVI: 23.

putantem audivimus Michaelē¹⁾: »non ergo, ait, si nobis hac
 »parte displicent Hebraeorum scriptores, damnandi nec morum
 »praeceptis objurgandi, sed tenendum aliud apud alios decorum
 »esse, nec magis dedecere poëtam in Oriente, omnes lupanaris
 »horrores promere et soli tanquam ostendere, quam nostros, si idem
 »in homicidio aliave vi injusta audeant. Causa autem subesse haec
 »videtur. Apud nos libera utriusque sexus colloquia et con-
 »suetudo faciunt ut in omni sermone cavendum sit, ne quid
 »audiatur quod virginum roborem provocare possit, quarnm aures
 »laedere non tam lasciviae est quam rusticitatis. Cui pudori,
 »in utriusque sexus coetibus necessaria, ita a teneris adsuesci-
 »mus, ut viri etiam cum viris colloquentes virgines videri Orien-
 »talibus possimus. Haec in Oriente alia sunt omnia. Viri viris
 »consuescunt, nec cum feminis colloquantur, familiarius, nisi
 »uxores eorum sint, ancillae aut meretrices, feminae porro cum
 »feminis, ne in vestibus quidem domi pudoris aliquem modum
 »servantes, sed, ut ait *Shawius*, in sua *gynaecoonitide* Sileno-
 »rum satis similes. Hinc major verborum licentia.”

His recte monitis nil habeo quod addam nisi id unum. For-
 tasse aliquis concedens disputata recte sese habere, ratione ha-
 bita aetatis prophetae, negat eadem valere de tempore Ja-
 cobi, provocando ad magnum quod inter utriusque aetatis
 morum intercedat discrimen. Videat ille nostrum auctorem
 minime pro veterum poëtarum more, rem, similitudinis caussa ad-
 ductam, vividis coloribus exponere sed leviter tandummodo at-
 tingere.

Quodsi jam ad imaginis pulchritudinem attendimus, quid
 aptius et gravius cogitari potest? Tabula nobis ante oculos po-
 nitur historiam depingens omnium scelerum, quae quotidie pa-
 trantur. Liceat, illustrandi causa, unum adferre desumptum ex
 primis nostris parentibus.

¹⁾ Vid. ejus annotat. ad Lowt l. l., p. 472.

Deus pater, ut eos ad sanctitatem informaret, dederat praeceptum quod rite observari fas et religio iis fuit. Ecce prava cupiditas (*Ἐπιθυμία*), qua nitimur in vetitum, excitatur. Mulieris lascivae instar homines allicit atque a recta via detorquere studet. Suadet iis divinam negligere legem, suoque cedere amori. Parentes principiis non obstantes, voluptatis illecebris succumbunt. Res non amplius citra factum manet. Malum, quod primum intus fovetur, in externum erumpit. Prava concupiscentia mater fit peccati (*ἁμαρτίας*).

Magna sane laus habetur sacrorum scriptorum, quod neque in ligata neque in soluta oratione ita accumulare solent imagines ut e. g. de Arabum constat poëtis. Hoc quoque nomine laudari meretur Jacobus. Quum *ἁμαρτίαν* inducere coepisset filiam *τῆς ἐπιθυμίας* in sequentibus eandem continuat maginem.

Filia illa, *ad maturitatem perducta* (*ἀποτελεσθεῖσα*) ¹⁾ *gignit mortem*.

Huic prosopopouaè non dissimilis est ea, quae a Paulo adhibetur Rom. V—VII. Ibi proponitur *ἡ ἁμαρτία* mundum ingressa, mortis auctor, homini imperans, omnisque perniciiei effectrix.

Notum est peccatum celeriter increscere, brevique temporis spatio magna accipere incrementa. Valet enim de ea »mobilitate viget, viresque acquirit eundo ²⁾." Postquam autem

1) *ἀποτελεσθεῖσα* est *ἀπαξλεγόμενον* proprie *ad finem perducta*, h. l. designat *adultam*, quae *ad maturitatem pervenit*. Figuram illam ad nostram rem recte exposuit Calvinus: »perfectum (adultum) non unum aliquod opus perpetratum intelligo, sed cursum peccandi completum. Tametsi enim unicuique peccato mors debetur, dicitur tamen stipendium praviae vitae, quae in sceleribus degatur.

2) Juvat hic addere duo effata quibus acrescentis peccati vim descripserunt bini viri, qui inter Germanos summi evaserunt poëtae philosophi, Schillerus et Göthe, quorum ille (Wallenstein):

Das eben is der fluch des bösen that

Das sie fortzeugend immer bözes musz gebären.

summum adscenderit fastigium varias easque maximas producit. Corpus pulchrum illud, quod Creator construxit, aedificium caducum et infirmum redditur, ita ut quam celerrime ad interitum ruat. Quid vero memorarem infelicissimum statum, in quem melior et sublimior hominis pars incidit. Ratio, qua praeclarius nil nobis data, luce privatur; voluntas agendi vim amittit atque efficacitatem: verbo, totus homo torpet eaque tristissima versatur conditio, qua jure dici possit se mortis (*θανάτου*) incurrisse ruinam.

Haec, quae diximus, sufficiant ad indicandum quam pulchra et vera sit tota, quae h. l. occurrit, figurata oratio, cui haud dubitamus eminentem adscribere sublimitatis notam.

hic (Faust).

Wenn erst die Schande wird geboren,
 Werd sie heimlich zur Welt gebracht,
 Und man zieht den Schleijer der nacht
 Ihr über Kopf und Ohren.
 Ja man möchte sie gern ermörten,
 Wachst sie aber und macht sie grosz
 Dann geht sie auch bij tage bloz
 Und ist doch nicht schöner geworden,
 Je hässlicher wird ihr gesicht
 Je mehr sucht sie des Tagen licht.

CAPUT I. SECT. 17.

QUIDQUID A DEO DESCENDIT, BONUM EST.

παντός ἀγαθοῦ θεοῦ δοτῆρας εἰσὶ τῆ
θνήτη φύσει καὶ φυλάκες.

DION. HALIC.

θεοὶ αἱεὶ πάντα τὰ ἀγαθὰ προτείνουσι
ὡςπὲρ ἡλὸς ἀνεσχὼν τὸ φῶς.

PROCLUS.

Πᾶσα δόσις ἀγαθῆ, καὶ πᾶν δῶρημα τέλειον ἄνωθεν
ἐστίν, καταβαῖνον ἀπο τοῦ πατρὸς τῶν φώτων, παρ' ᾧ
οὐκ ἐνὶ παραλλαγῇ, ἢ τροπῆς ἀποσκιάσμα.

Omnis datio bona, atque omne donum ¹⁾ perfectum
superne ²⁾, descendit ³⁾ a patre luminum, apud quem
nulla est ⁴⁾ vicissitudo aut conversionis umbra.

1) Justo argutius, ut videtur, nonnulli interpretes quoddam discrimen
quaesiverunt inter δόσις et δῶρημα, quae voces promiscue usurpantur.
Adjectiva ἀγαθῆ et τέλειον ita commode distingui possunt, ut posterius
priori habeatur definitius ac majus. ἀγαθὸς salutaris, praestans, τέλειος
(τέλος) ad finem perductus.

2) ἄνωθεν i. q. οὐρανόθεν (III: 15 et 17).

3) ἐστὶ καταβ. accurate pro καταβαίνειν. Haec forma indicat sta-
tum nondum sublatum, sed perdurans, sicuti III: 15. «οὐκ ἐστὶ αὐτῆ
ἡ σοφία ἄνωθεν κατερχομένη.» Cf. Winer, Grammatik des Neut. Sprach.
ed. 5, p. 411.

4) παρὰ. Cum Dativo de eo quod proprium est alicui, vid. Rom. II:
11. Eandem vim habet Lat. in e. g. Cicero «si quid est in me ingenii.»

Πᾶσά δό | σίς ἄγα | θῆ, καί | πᾶν δὼ | ρῆμα τῆ |
 λείον.

Hexametrum esse syllabarum docet quantitas. Dubitari autem potest utrum Jacobo ipsi forte fortuito exciderit an alium haberit auctorem. Illud si accipitur, rem ponimus ab optimorum quorumque scriptorum consuetudine non plane recedentem. Cicero enim etiamsi »vehementer vitiosum id genus et longa animi provisione fugiendum vocat» quin Livius etiam historicus in talia nonnunquam incidunt 1). Attamen, quoniam cetera etiam ἄνωθεν κ. τ. λ. ut vidit Schultessius, in numeros redigi possunt, probabile puto Jacobum, quoddam effatum poëtae in mente habentem, memoriae lapsu, e metro excidisse 2).

His vero missis ad alia accedamus.

Πᾶσα. Scite animadvertit Raphelius 3) omnem hujus loci vim latere in voce πᾶσα, quae nisi recte intelligatur, obscura fit oratio. Pergit Apostolus in confirmando Deum nullius mali existere auctorem. Quod ut demonstret in praecedentibus monuerat peccati originem ab homine ipso esse repetendam. Jam aliud profert argumentum idque metaphysicum ut ita dicam: *Tantum abest ut Deus nos alliceret ad malum ut contra ab eo luminum parenti, mera (nulla nisi) bona proficiscantur.* Orationis igitur series postulat ut τῷ »πᾶσα» vim attribuamus *exclusivam*. Quam notionem huic vocabulo revera inesse aliquot testantur loci ex Graecorum scriptis allati 4).

ἐν temere multi grammatici pro ἐνεστι, cujusmodi contractionis nullum aliud exstat vetustatis documentum. Dicitur pro ἐν, quae particula eodem modo quo ἐπί et παρά, saepius sine addito ἐστι construitur. Cf. Winer l. l., p. 460.

1) Vid. Winer l. l., p. 704 qui in annot. alia collegit exempla.

2) Paulus etiam Graecorum poëtarum laudat effata Act. XVII: 28 *Arati*, 1 Cor. XV: 33. *Menandri*, Tit. I: 12. *Epimenidis*.

3) G. Raphelius annot. philol. in N. T. ex Polybio et Arriano *Hamburgi* 1725.

4) Arrianus. De exped. Alex. 3, 10, 7: »ducebat τοὺς παντὰς ἐκπέας.»

ἀπὸ τοῦ πατρὸς 1) τῶν φώτων 2). Laxa omnino videtur Glassii interpretatio: »a patre *luminosissimo* v. *gloriosissimo*, ut posterius substantivum sit loco adjectivi. Quaeritur vero quanam hic vocantur φῶτα. Diversae sunt iudicum sententiae, quarum recensionem exhibet Gebserus ad h. l.

Ut de ceteris taceam plures olim fuerunt qui rei *explicationem* cum ejus *applicatione* confundendo intellexerunt *illuminationes* 3) modo latiore, modo angustiore sensu, alii cum allusione ad *trinitatem* 4) alii cum respectu ad τὸ *Urim*, quod fuit in sacerdotis pectorali.

Neque magis mihi placet duplicis interpretandi via, quam ineunt Schultessius alique, φῶτα explicantes tam de *luminibus coelestibus*, quam de iis *luminibus* i. e. *ingeniis*, quae hominum generi salutem, honorem ac felicitatem impertiunt.

Simplicissima sane est ratio, qua cum Semlero et plerisque recentioris aetatis interpretibus hic intelligimus *solem*, *lunam* ceteraque sidera, quae coeli sunt *lumina*. Eodem sensu in V. T. usurpatur vox דִּינָא, quam LXX vertunt τὰ φῶτα (Psalm. CXXXVI: 7 alibi).

i. e. *meros equites, nullis adjunctis peditibus*; et alibi. Eadem notione usurpatur Latin. *omnis* e. g. Cicero de nat. Deor. »nulla in coelo nec fortuna, nec temeritas, nec erratio nec vanitas inest; contraque *omnis* ordo, veritas, ratio, constantia.»

1) De vocab. πατρὸς significatione vid. infra.

2) Sic scribendum. Lectioni enim φωτῶν, *virorum*, quam commendat Stolzius, omnis obstat oratio contexta.

3) Spirituales plerumque, quae *mentis* eruditionem, *animi* emendationem vitae denique felicitatem complectuntur. Ita omnes fere viri reformatores censent. Grotio, qui ἀ. τ. π. τ. φ. parem habet locutionem cum ille Hebr. XII: 9. τῷ πατρὶ τῶν πνευμάτων: »Deus sicut *spirituum* s. *donorum spiritualium* auctor, ita specialiter etiam illarum *illuminationum*, quae rectius דִּינָא dicuntur quam fulgores illi in pectorali summi sacerdotis.

4) Mysticae hujus interpretationis fautorem sese prodidit Gregorius Nanzianenus, quem deinceps multi sunt secuti.

παραλλαγή ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα 1). Omnes sunt voces ἀπαξλεγόμενα ab astronomorum disciplina desumptae.

παραλλαγή de astris dicta utrum significetur *loci* an *lucis* mutatio difficile dictu. Utroque sensu apud veteres occurrit. Geminus 2) praeter παραλλ. κλιμάτων et παραλλ. τῶν ἡμερων, commemorat παραλλ. τῶν τμηματῶν, ὧν ὑπερ γῆν φέρεται ὁ ἥλιος (cursui solis) 3). Aeschylus 4) utitur voce ad indicandam *mutationem lucis* qua nunc majore, tunc minore *splendet aestu*. Res non magni est momenti. Quod ad sensum duae interpretationes facile in concordiam redigi possunt. Astra enim si *loco* moventur *locis* habent mutationem. Sic altera vicis-situdo alterius est causa.

τροπή 5) dicitur vel latiore sensu de *variorum corporum coelestium conversione* 6) vel, idque frequentius, specialiter de *solis conversione*, quam duplicem accipiebant veteres, *τρόπην θερινήν* et *τρόπην χειμερινήν* 7). De Wettius autem maluit cogitari conversionem *lunae* quam *solis*, quandoquidem ex illa solummodo oritur ἀποσκίασμα, quod cum ge-

1) Auctore L. Bos (annot. in N. T. Franequerae 1733) prior denotat *varios situs solis, quibus quotidie apparet sol, posterior motum solis annum et conversionem a tropico ad tropicum*.

2) Geminus *εἰσαγωγή εἰς τα φαινόμενα* in Dion. Petav. Uranologion Par. 1680, p. 16 et 26, quem adfert ad n. l. Gebserus.

3) Idem παραλλ. usurpat de *vario statu lunae* e regione solis, p. 38 et 39.

4) Agamemnon. 472.

5) Τροπή saepius a Graecis scriptoribus dicitur de *solstitiis*. Recte autem monuit Raphelius hanc notionem h. l. non convenire, quandoquidem ex *solstitio* nulla oritur *obumbratio*. Quod vero addit »*τροπήν* accipiendam esse de *conv. solis ab ortu ad occasum, quâ cum terram subit, nox efficitur*," nullo fulcitur argumento.

6) Vid. Plato in Timaeo, p. 39 D.

7) Vid. Geminus I, l. p. 2.

nitivo τροπῆς construitur tanquam ejus *effectus* 1), *obumbratio* (ἐκ τροπῆς) *ex solis vel lunae conversione originem ducens.*

Jacobus, quum classicum hunc scriberet locum, procul dubio sibi informavit coelum, quale in Oriente, media nocte, apparet stellis sideribusque distinctum. Cujus spectaculi tanta est pulchritudo ut in eo contemplando et admirando nullus unquam animus expleri possit.

Ab illo autem mundo corporeo si homines oculos sustollent ad summum Numen, omnium rerum architectum ac conservatorem, latus iis aperiebatur campus divinae celebrandae majestatis. Quam rationem auctor secutus ἐκ τῶν ὁρωμένων ἀγαθῶν respicit ad Deum, eumque celebrat (πάτερα τῶν φῶτων) *supremum corporum coelestium auctorem eundemque ipsum lumen.*

Fateor quidem Deum non diserte *ipsum* dici *lumen* 2). Attamen hanc denominationem non alienam esse a scriptoris mente et consilio patet cum ex seqq. παρ' ὧ κ. τ. λ., quibus *Dei lucis* imago continuatur, tum ex singulari significatione vocabuli πάτερος. Ea enim est hujus vocis propria vis ut qualitatem quandam attribuat subjecto, ita ut Deum, si revera *pater* habetur *luminum*, ipsum quoque *lumen* esse jure efficiamus.

Nulla apud Orientales frequentior occurrit metaphora, quam ea, qua summi Numinis natura sub lucis imagine componitur.

1) Nulla adest causa, ob quam ἀποσκ. tropice accipiamus h. s. «ne umbra, vestigium quidem mutabilitatis.»

2) L. Bos l. l. putat Jacobum alludere ad *solem*. Habet nempe π. τ. φ. *periphrasin solis*. Facile ei concedimus solem a poetis praesertim passim vocari *diei* s. *lucis pater*. At plur. τὰ φῶτα, ut monui, tam a LXX quam a Graecis scriptoribus unice dicitur de *luminibus*, *astris*. Unus tamen V. T. est locus, si recte video, de quo adhuc sub judice lis est, utrum τὰ φῶτα denotet *lumen* an *astra*. Jerem. VI: 23 «et ad coelum sustollo oculos sed non est lux (τὰ φῶτα) ejus i. e. interprete Rosenmullero, mihi turbato coelum serenum nubibus erat obductum. Sed cum Grotio hic quoque nostrum vocabulum bene interpretari possumus *sidera*.

Constat enim non solum Hebraeos 1) sed et Ethnicos populos 2) Deum ita describere solere.

Loquendi usum si consulimus, non difficile videtur hujus denominationis originem quaerere ac veram significationem.

Lumen jam ab aevo uberrimus omnis fertilitatis habebatur fons. Inde tropice eam adhibuerunt ad exprimendas *res prosperas* atque *hilaris*, quemadmodum oppositum *tenebrae* symbolum erat *tristitiae* et *miseriae*. 3) Ad Deum igitur si defertur, plerumque signi-

1) Liceat in memoriam revocare vetustissimam narrationem de apparitione ad Mosen. Rogaverat ille Dei conspiciere splendorem. At cum *divinae lucis* particulam vidisset Moses ita ipsius adflatus est vultus, ut lucidus buoque fieret. Exodus XXXIV: 29. — Ps. LXXXIV: 12. Deus vocatur *sol*; quod *lumen* habebatur *κατ' ἔξοχήν* ut diserte indicant Job XXXI: 6. XXXVII: 21. — Ps. CIV: 8. Deus dicitur *lucis veste indutus*. — Ps. XXXVI: 10. vates Jehovam alloquitur *in lumine tuo videmus lucem*."

2) Clericus ad Exod. XXXIV: 29: «Narrabant Persae, si Dioni Chrysostomo credimus, in Borysthenica Zoroastrem suum amore sapientiae et justitiae secessisse, et in monte quodam seorsim vixisse, dein accensum montem, multo igne desuper deflagante, perpetuo arsisse. Regem ergo cum illustrissimis Persarum propriorum factum Deum orasse, et virum, egressum ex igne sine noxa apparuisse iis, propitium bono animo esse jussisse, et sacra quaedam fecisse, cum Deus in eum locum venisset. Haec sunt Moisaici adfinia et forte hinc sumta." Quidquid est ex Zoroastris certe disciplina bonus Deus, qui sub persona Ormuzdi describitur, in lumine habitat, atque est summa circumdatus majestate (corpus habet *luminis* et *ignis*). Cf. T. P. Bergsma, Dissert. *de Zoroastris quibusdam placitis cum doctrina Christiana comparatis*. Trajecti ad Rhenum 1825 — Ceterum haud improbanda mihi videtur eorum sententia qui putant antiquissimum (Deut. IV: 19. Job. XXXI: 26 et 27) *solis* ac *ignis* cultum, quem per omnem fere veterem terrarum orbem diffusum legimus, originem duxisse ex hominum stultitia, qua id quod initio non nisi *Dei symbolum* habebatur, *ipsum Deum* esse duxerunt. Cf. G. J. Vossius, de origine ac progressu Idololatriae L. II, c. 2 Francofurti ad Moenum 1675, et H. Muntinghe, geschiedenis der menschheid naar den bijbel, 8 pars, p. 344.

3) Haec metaphora communi omnium linguarum usu frequentatur, vid. Lowtius l. l., p. 61 qui largam edidit exemplorum seriem, ex *Hebraeorum* poetis depromptam. Apud *Arabes* eundem valere loquendi usum monuit Mun-

ficari solet eum *verae salutis* esse auctorem. Ps. XXVII: 1. Davides Jovam vocat, »*lux mea*,» quam figuratam dictionem statim exponit »*et salus mea*» (*salus* per metonymiam pro *salutis auctore*). Jesaias LX: 20. in descriptione aurei saeculi ita alloquitur Hierosolymae urbem: *non intrabit* (suum quasi cubile) *amplius sol tuus, et luna tua non se recipiet, nam Jehova erit tibi lux aeterna, et absoluti sunt dies luctus tui.*

Ne quis tamen putet, sic quidem excludi *sapientiae* atque *sanctitatis* notiones, quas cunctas eadem imagine complectebantur veteres 1). Hinc enim explicandum Johannem Apostolum lucis imaginem ad summum transtulisse Numen in oratione ubi sermo est de *divina majestate nulla labe contaminata* 2). Ut ex Zoroastris disciplina *lux* boni Dei natura est et regnum, *caligo* autem mali numinis, sic etiam apud hunc, N. T. scriptorem, *φῶς* omnis veri piique habetur symbolum, *σκοτία* vero contrarii imago 3). Neque aliam cogitandi dicendique legem sequitur Jacobus. Summum Deum nominans *πάτερα τῶν φῶτων* haud dubie in mente habet *absolutam* ejus *praestantiam* ac *perfectionem*, qua *non nisi bona* (*ἀγαθὰ*) et *perfecta* (*τελεία*) ab eo descendant (e. g. *sapientia* quae Sal. Sap. vocatur *ἀπογίασμα τοῦ φῶτος αἰδιοῦ*). Ultima verba formulae continent *ἐπεξηγήσιν*.

Haec interpretatio si recte sese habet, eadem Jacobus utitur

inghe l. l. Et si de *Graecis* aut *Latinis* quaeris vid. Iliad VIII: 282. Horat *Carm.* IV: 5.

1) Conferatur Jes. XLI: 6, LI: 4. et alibi imprimis hoc sensu frequenter occurrit apud scriptores N. T. Conf. Matt. V: 14. Luc. II: 32. Aet. XIII: 41 apud Latinos *Lumina reipublicae* dicebantur, qui vel doctrinae laude vel illustribus factis et institutis civitati erant ornamento.

2) 1 Joh. I, v. 5. ὁ Θεὸς φῶς ἐστὶ, καὶ σκοτία ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν οὐδέμια.

3) Joh. I: 4 de *Λογῶ* »καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων» eff. Christi de se ipso effata: Joh. cap. VIII: 12, IX: 5, XII: 46.

argumentatione, qua Plato *de Rep.* II: 379 A.—C., οὐδ' ἄρα ὁ θεός, ἐπειθὴ ἀγαθός, πάντων ἂν εἴ αἴτιος, ὡς οἱ πολλοὶ λέγουσι· ἀλλ' ὀλίγων μὲν τοῖς ἀνθρώποις αἴτιος, πολλῶν δὲ ἀναίτιος· πολὺ γὰρ ἐλάττω τ' ἀγαθὰ τῶν κακῶν ἡμῶν· καὶ τῶν μὲν ἀγαθῶν οὐδένα ἄλλον αἰτιατέον· τῶν δὲ κακῶν ἄλλ' ἅττα δεῖ ζητεῖν τὰ αἴτια, ἀλλ' οὐ τὸν θεόν. 379. c. 380. Κακῶν δὲ αἴτιον φάναι θεὸν τιμὴ γίνεσθαι, ἀγαθὸν ὄντα κ. τ. λ. 1).

Hic summus philosophus (ut noster auctor) provocat ad *mortalem*, quam Dei dicunt, *bonitatem* 2), ut demonstraret eum nullius mali esse auctorem.

Si in genere quaeris, de sublimi, quam Jacobus pronuntiavit sententia, neminem poenitebit cum ea contulisse nobilissimum Platonis effatum Tim. 42. D. Διαθεσμοθετήσας (summus Deus) δὲ πάντα αὐτοῖς ταῦτα, ἵνα τῆς ἔπειτα εἴη κακίας ἐκάστων ἀναίτιος, ἔσπειρε τοὺς μὲν εἰς γῆν, τοὺς δ' εἰς τὰ ἄλλα, ὅσα ὄργανα χρόνου· τὸ δὲ μετὰ τὸν σπέρρον τοῖς νέοις παρέδωκε θεοῖς σώματα πλάττειν θνητά, τὸ τε ἐπιλοιπον ὅσον ἔτ' ἦν ψυχῆς ἀνθρωπίνης θεὸν προσγενέσθαι, τοῦτο καὶ πανθ' ὅσα ἀκόλουθα ἐκείνοις ἀπεργασαμένους

1) Totam Platonis argumentationem breviter complectitur Heusdius *initia Philosophiae Platonicae* v. 3, p. 218. Disputantes inducit Socratem et Adimantum. Postquam hic intervogarerat, quinam essent maxime *περὶ θεολογίας τύποι*, sic Socrates: *nonne revera bonus (ἀγαθός) Deus est, et ita dicendus?* — Procul dubio. — Atqui nullum bonum noxium est. Nullum, ut arbitrator. — Quod innoxium est, numquid nocet? — Nequaquam. — Quod non nocet, numquid mali facit? — Neque istud quidem. Quod autem nihil mali facit, nullius mali est causa. — Nullius. — Quid porro? Nonne utile bonum est? — Prorsus. — Ergo bene feliciterque agendi causa est? — Est. — Non igitur causa bonum est, sed eorum duntaxat, quae bene se habent: eorum vero, quae male, nequaquam? — Sic est omnino.

2) Significatio τοῦ ἀγαθοῦ apud Platonem a *vulgari bonitatis* notione recte distinguitur van Heusde l. l.

ἄρχειν, καὶ κατὰ δύναμιν ὅτι κάλλιστα καὶ ἄριστα το
 θυητὸν διακυβερονᾶν ζῶον, ὃ τι μὴ κακῶν αὐτὸ ἑαυτῷ
 γίγνοιτο αἴτιον. Atque ex libris apocryphis V T. Jes. Sir.
 XXXIX: 33 et 34 τὰ ἔργα κυρίου πάντα ἀγαθὰ, καὶ
 πᾶσαν χρεῖαν ἐν ὥρῃ αὐτῆς χορηγᾷ. Καὶ οὐκ ἔστιν
 εἰπεῖν, τοῦτο τοῦτου πονηρότερον, πάντα γὰρ ἐν καιρῷ
 ἐκδοκιμηθήσεται. Coll. cap. XV: 11—20. et Sal. Sap cap. I:
 13 et 14 ὅτι ὁ θεὸς θάνατον οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ τέρεπε-
 ται ἐπ' ἀπωλείᾳ ζώντων. Ἐκτίσε γὰρ εἰς τὸ εἶναι τὰ
 πάντα, καὶ σωτήριοι αἱ γενέσεις τοῦ κόσμου, καὶ οὐκ
 ἔστιν ἐν αὐταῖς φάρμακον ὀλέθρου, οὔτε ἄδου βασιλείου
 ἐπὶ γῆς. Coll. cap. II: 22—24.

Omnia lumina, quotquot exstant, diversis obnoxia sunt mu-
 tationibus. Sol. e. g. nunc oritur tunc occidit, unde dierum
 noctiumque divisio. Praeterea binas quotannis facit reversio-
 nes ab extremo contrarias, quarum intervallo modo tristitia
 afficit terram, modo laetificat. Ut sol, sic caetera quoque cor-
 pora coelestia perpetuo motu per aetheris circumvolvuntur am-
 plexum, definiuntque suos cursus. Quae siderum inconstantia
 talis tantaque habetur, ut eam saepius in similitudinem adduc-
 tam reperiamus 1). — At in Deum nulla cadit mutatio. Prudenter
 igitur atque vere Jacobus, ab Illo, quem modo patrem lumi-
 num celebraverat, omnem et alienationis (παραλλάγης), et
 obscurationis (τροπῆς ἀποσκίασμα) removit notionem, addi-
 tis παρ' οὐκ κ. τ. λ. Quidquid mutatur, Deus in omni aeter-
 nitate sibi constat, imo verò οὐρανοὶ ἀπολοῦνται, καὶ πάν-
 τες ὡς ἱμάτιον παλαιωθήσονται, καὶ ὡσεὶ περιβόλαιον
 ἐλιξείσιν αὐτοῦ, καὶ ἀλλαγῆσονται· θεὸς δὲ ὁ αὐτὸς δια-
 μένει, καὶ τα ἔτη αὐτοῦ οὐκ ἐκλείψουσι. Hebr. I: 11, 12.

1) Jes. Sir. XXVII: 11 stultus dicitur oberrari, ut Luna, et alibi.

CAPUT I. SECT. 22—25.

VERBUM DIVINUM NON MODO AUDIENDUM, SED ETIAM IN

πραξίν CONVERTENDUM.

Μακάριοι ἐστε ἂν ποιῆτε αὐτὰ.

CHRISTUS.

Quando multo disces? Quando, quae didiceris, affiges tibi ita ut excidere non possint.

SENECA.

Sect. 22. Γίνεσθε δὲ ποιηταὶ λόγου, καὶ μὴ μόνον ἀκροαταὶ, παραλογιζόμενοι ἑαυτοῖς.

» Fiatis 1) vero effectores 2) verbi 3), neque tantummodo auditores, semet ipsos decipientes 4).”

1) Γίνεσθε definitius et gravius quam vulgaris ἔσθε sive ἔσεσθε, dicitur de statu, in quem aliquis venit *sui ipsius voluntate*.

2) ποιηταὶ λόγου secuti Hebr. הַרְיָת הַצֵּעַ pro ποιηταὶ τὰ ἔργα τοῦ νόμου denotat eos, qui morem gerunt legi; quibus opponuntur ἀκροαταὶ (τοῦ νόμου) tales auditores, qui religionis Christianae disciplinam auribus tantum percipientes, negligunt eam ad animum applicare.

3) λόγος sive, ut alii legunt, νόμος, sic vocatur evangelium, quandoquidem praecepta dat, secundum quae vita nostra instituenda est.

4) παραλογιζόμενοι ἑαυτοῖς. Παρ’ ὁ θεῶν vel πάρα τὴν ἀληθειαν λογίζεσθαι proprie *perperam supputare, ratiocinari*, inde, quod consequens est, *decipere*. Ἐαυτοῖς vertendum vel *se ipsos* vel *vos ipsos*, prouti statuimus hortationem directe aut indirecte ad compellatos traduci. Ob vocabulorum constructionem prior ratio praeferranda mihi videtur. Eodem sensu, quo nostra formula sect. 26 alia usurpatur ἀπατῶν καρδιαν

Sect. praecedente Jacobus fratres monuerat »accipere religionis Christianae doctrinam (τὸν ἐμφυτον λόγον).» Jam pergit n. l. in hortatione: non sufficit religionem Christianam auribus accipere, sed ea quoque animo infingenda, atque per totam nostram vitam observanda est. Sunt quidem nonnulli, qui aliter agentes acquiescant in solo verbo divino audiendo, sed hi gravem committunt errorem semet ipsos decipientes.

Aureum hoc praeceptum, quod caput et summa totius epistolae est dicendum, multa apud veteres scriptores habet similia. Cicero (de Officiis 1. 43): *cognitio contemplatioque naturae, manca quodammodo atque inchoata est, si nulla actio rerum consequatur.* Prae ceteris hac in re copiosus est Seneca, qui praeter alia, (in epistolis): *Non est beatus qui scit illa, sed qui facit. Pars virtutis disciplinā constat, pars exercitatione, et discas et quod didicisti agendo confirmes. Sic ista discamus, ut quae fuerunt verba, fiant opera. Hoc enim turpissimum est, quod nobis objici solet, verba nos philosophiae, non opera tractare. De vita semper disputatur, nunquam vivitur.*

Gravissimam hanc sententiam Jacobus deinceps illustrat perquam eleganti comparatione.

23. Ὅτι εἴ τις ἀκροατὴς λόγου ἐστὶ καὶ οὐ ποιητὴς, οὗτος ἔοικεν ἀνδρὶ κατανοοῦντι τὸ πρόσωπον τῆς γενέσεως αὐτοῦ ἐν ἐσόπτρῳ.
24. Κατενόησε γὰρ ἑαυτὸν καὶ ἀπελήλυθε, καὶ ἐν-θέως ἐπελάθετο ὁποῖος ἦν.
25. Ὁ δὲ παρακλήσας εἰς νόμον τέλειον τὸν τῆς ἐλευθερίας, καὶ παραμείνας, οὗτος οὐκ ἀκροατὴς ἐπιλησμονῆς γενόμενος, ἀλλὰ ποιητὴς ἔργου, οὗτος μακάριος ἐν τῇ ποιήσει αὐτοῦ ἔσται.

αὐτοῦ. Ceterum *paranomasia*, quam nonnulli quaesiverunt in vocibus λόγος et παραλογίζεσθαι n. l. nullam habet vim.

Quod si enim ¹⁾ quis auditor verbi est neque effector, viro ²⁾ similis est conspicienti ³⁾ formam nativam suam in speculo ⁴⁾.

Animadvertit autem se ipsum et abiit, et statim obliviscitur qualis sit.

Ille vero, qui incumbens ⁵⁾ introspicit in legem perfectam eamque libertatis et perseverat, is, quippe non auditor obliviosus ⁶⁾ futurus, sed effector rei, is beatus hoc ipso opere erit.

τὸ πρόσωπον τῆς γενέσεως. Quum accurata interpretatio non permittit hic meram assumere dictionis abundantiam, ita ut nostra formula dicatur pro simplici πρόσωπον sive *ἑαυτὸν*, magna

1) ὅτι rationem affert praemissae cohortationis.

2) ἀνδρὲς ut Hebr. *אֲנָשִׁים* universe pro ἀνθρώπων vel τινι. Minus recte Grotius solum intelligit virum, quia, ait, mulieres diutius speculo inhaerent, viri, vix conspecto speculo, abire solent.

3) κατανοοῦντι nonnulli minus recte vertunt *raptim*, quasi in transitu conspiciere. Huic interpretationi (eujus origo facile explicatur ex studio urgendi oppositionem inter nostrum vocabulum et sequens *κατακίψας*) obstat vocis vulgaris usus. *Κατανοεῖν* enim significare *diligenter contemplari, conspiciere* praeter alia docet Matt. VII: 3 ubi βλέπειν et κατανοεῖν, et Act. XXVII: 39 ubi κατανοεῖν et ἐπιγιγνώσκειν promiscue usurpantur. Ad orationem efficaciorum reddendam, scriptor utitur *part. praes. pro perf.*

4) ἐν ἐσόπτρῳ. — *Εσόπτρον* (ex ἐς et ὄπτρῳ) omne quod radios reflectit, nostramque imaginem refert, *speculum*.

5) παρακίψας. *Παρακίπτειν* proprie *incurvato corpore et exserto capite introspicere* inde cum industria aliquid contemplari. Arctissime cum hoc vocabulo conjungendum sequens *παραμείνειν*, *perseverare in introspicendo*, ita ut utrumque commode vertamus, *attente ac sedulo inquirere*.

6) ἀμροατῆς ἐπιλήσμονῆς more Hebr. ἀμροατῆς ἐπιλήσμων auditor *obliviosus*, cui opponitur ποιήτης ἔργου. Vox ἔργου minime abundat, contra magnam habet emphasin. ποιητῆς ἔργου significantius quam ποιητῆς ἐργαζόμενος notat *virum, qui pie factis et operibus probat se hominem esse vere Christianum*.

oritur difficultas quam vim et significationem habeat additum τῆς γενέσεως. Iudices in diversas abeunt partes. Pott, assentiente Gebsero, vertens *formam vultus nativam*, supplendum statuit «*non item maculas vultui haud ἐκ γενέσεως insitas, sed propria culpa adspersas*» ad quas animadvertendas παρακλήσει, sect. 25, sive accuratiori vultus exploratione opus erat. Haec interpretatio nimis e longinquo petita videtur. Neque majore simplicitate se commendat ratio eorum, qui «τῆς γενέσεως» explicant «τῆς παλιγγενεσίας.» Provocantes ad duplex evangelii speculi consilium, alterum ut discamus quales simus, alterum, quales nos esse oporteat, statuunt virum, quem Jacobus proponit, tantummodo ad posterius attentionem facere. Ne alia commemorem, quae contra hanc sententiam afferri possent, tota loci ratio postulat ut talem virum nobis informemus, qui utroque rite perspecto, in eo errat, quod abiens statim obiviscatur, quae cognoverit. Ut praetermittam Lutheri aliorumque sententiam, qua, ni fallor, sine idoneo argumento, oppositio assumitur τῷ τοῦ πνεύματος προσώπῳ, duae denique restant opiniones, altera Theilii, altera de Wettii. Ille poëticam exaggerationem hic invenire putat. Talis autem exaggeratio, quum n. l. parum conveniret, melius putaverim cum de Wettio statuere ἐκ τῆς γενέσεως a Jacobo additum esse, quo definitius et significantius sententiam exprimeret, hoc sensu: animadvertit *faciem naturalem nativam*, quam per generationem accepit.

Κατενόησε κ. τ. λ. Nonnulli antiquiores interpretes statuunt hic similitudinis apodosin adesse. Satius autem duximus hanc sectionem referre ad similitudinem hominis, in speculo se ipsum conspicientis, copiosius et distinctius exponendam; idque triplicem ob causam. Primum ob binos illos aōristos (κατενόησεν et ἐπέλαθετο) et perfectum (ἀπέληλυθε), quae tempora indicare videntur Jacobum rem, quae modo exempli causa adduxerat, nunc enarrare tanquam revera factam. Accedit quod auctoris consuetudini conveniat, ex comparatione transire in narrationem.

Vid. hujus capituli vs. 10 et 41. Denique sic tota oratio multo melius progredi videtur.

Νόμον τέλειον — *Νόμον* vocari *evangelium* monuimus.

Quo sensu autem ille *νόμος* dicitur *τέλειος*? Ambiguunt interpretes. Ne justo diutius nos detineamus, sufficiet tantummodo nostrum commemorare iudicium. Evangelium vocatur *νόμος τέλειος* oppositum institutioni Mosaicae. Etiam si non continet quae huic repugnant, tamen haud uno nomine ei praestat, ita ut *κατ' ἐξοχὴν τέλειον* i. e. *perfectum* sit dicendum. Lex enim V. T. continebat tantummodo *τά ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου* (Gal. IV: 9); Novi Foederis autem institutio, quae passim laudatur *νόμος τοῦ πνεύματος, τῆς δικαιοσύνης, τῆς χαρίτος, τῆς ἀληθείας καὶ τῆς ζωῆς* complectebatur ulteriorem Dei patefactionem. Quid multa? Iacobus ipse rationem reddere videtur ob quam evangelium *τέλειον* vocaverit, addito *τὸν τῆς ἐλευθερίας*. Doctrina scilicet evangelica veram parit libertatem, quippe quae hominem liberum reddat a peccandi libidine. Aliter sese habuit disciplina Mosaica, cujus praecepta quum nemo ab omni parte observare posset, inde magis magisque evasit *ψύχος τῆς δουλείας*, atque incredibile dictu est, quantum hac ipsa re subinde valuerit ad peccandi licentiam augendam.

Tempus jam est ut paucis videamus de elegantissima comparatione, qua Iacobus utitur ad sententiam clariorem et illustriorem reddendam. Primum summa nostra attentione perdigina est imago, sub qua proponitur evangelium. Ducitur ex re pervulgatae ac notissimae significationis. Specula etenim, quamvis ad consuetam Iudaeorum suppellectilem non pertinuerunt, tamen inde a maxime remotis temporibus iis nota fuisse satis superque constat 1). Auctor igitur noster omnino laudandus est,

1) Conf. Exod. XXXVIII: 8. Sapient. VII: 26. Jes. Sir. XII: 11. Etiam *imago a specula ducta* apud veteres frequens occurrit. Biantis hoc fertur apophthegma: *θεώρει ὡσπερ ἐν κατόπτρῳ τὰς ἐαυτοῦ πράξεις, ἵνα τὰς μὲν καλὰς ἐπικοσμήσῃς, τὰς δὲ ἀσχηρὰς καλύπτῃς*. Plutarchus in lib.

quod in eo imitatur veteres Hebraeorum poëtas, qui imagines desumere solebant a rebus, quorum usus unicuique innotuit. Quod si negligitur orationis perspicuitas facile pereat necesse est.

Quam apta vero eadem sit imago et quam optime concinnet cum re cui componitur ex his videri liceat. Verbi divini natura atque consilium nullo modo melius cognosci potest, quam si ipsum comparamus cum *speculo*. Sicuti *speculorum* est, corporis ostendere naevos et maculas, ita etiam hoc praesertim sibi propositum habet doctrina evangelica, ut hominem sibimet ipsi detegat omniaque quae animo inhaereant vitia ipsi ante oculos ponat. Quid? quod et alteram ob causam evangelium summo jure dici mereatur *speculum*. Neque enim tantummodo docet quales simus, sed etiam ostendit quales esse debeamus, ita ut comparatione instituta, cognoscatur, et quid emendari oporteat et quaenam hujus rei sit norma. Christum nobis proponit exemplum summe perfectum, ad quem totus animus, totaque nostra vita instituenda sunt.

Quae cum ita sint nequaquam mirum videtur, Paulum etiam, gravissimum et litteratissimum apostolum, eadem evangelii speculi imagine usum esse: 2 Cor. cap. III. 18. *Ἡμεῖς δὲ πάντες ἀνακαλυμμένῳ προσώπῳ τὴν δόξαν Κυρίου κατοπτριζόμενοι, τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφούμεθα ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, καθάπερ ἀπὸ Κυρίου πνεύματος.* Hic Christiani jubentur Domini splendorem veluti *speculo* repercussam facie detecta intueri, ut ad hanc imaginem magis magisque in dies transformarentur.

Quod attinet ad totam nostri loci comparisonem, ea huc redit. Homo qui praecepta divina auribus solummodo percipit neque ea observat, aequè stulte agit, ac ille qui, postquam vultum

de auditione praeter alia monet: discedentes e schola atque ab auditione statim debere animum intueri scilicet: ut cognoscerent an molestis et supervacaneis cogitationibus quibusdam factus sit levior et alacrior, sicuti e tonstrina abituri *speculo* adsistere solent, ut tonsuram et caesuram capillorum dijudicarent.

nativum in speculo contemplatus est, abiens obliviscitur qualem se ipsum conspexerit. Rem, quae hic similitudinis causa adducitur, saepissime ita fieri ipsa comprobat experientia. Quotiescunque in speculo nostrum intuemur vultum, toties obliviscimur qualis sit ille. Contra aliorum vultus et facies facile mente et memoriae nostrae inhaerent.

Non est ut de singulorum vocabulorum vi fuse agamus. Sed omnino attendamus ad tria illa verba, sect. 24, (*κατένοησε, ἀπελήλυθε, ἐπιλάθετο*) quibus via, quam stultus et levis ille vir ingreditur, eleganter reique naturae consentaneum describitur. Conspicit se ipsum in speculo, sed non reputat de iis, quae viderit; nam abiens statim (*ἐνθεως*) omnia obliviscitur. Quid de tali homine sit statuendum in cuius mentem continuo cadit ipsius oblivio, scriptor quamvis non addit, nemo est qui ignoret. Jacobus pulchre commemorat praecedentia, ut ipsi ad sequentia concluderemus. Nempe ipsa ista oblivio luculenter indicat nostrum hominem suae emendationis non multam habere curam.

Sect. 25 missa jam similitudine transitus fit ad contrariae agendi rationis descriptionem. Hinc comparisonem non omnibus numeris esse absolutam recte nonnulli viderunt interpretes. Applicatio similitudinis ad rem profatam lectoris ingenio relinquitur supplenda.

Iniqui sane est iudicis, hanc ob causam reprehendere Apostolum, cuius mens sublimitate poëtica excellens, ita ferebat, ut minus quidem copiose, magis autem eleganter et nervose scribere soleret. Praeterea omnino animadvertendum nullum facile inveniri lectorem, qui non tantum valeat solertia, ut ex sui ipsius ingenii fonte omissa supplere non posset. Eo majore jure auctori id a quovis expectare licuit, quo fusius deinceps versetur in contraria agendi ratione exponenda. Nam tum ex toto orationis contextu, tum potissimum ex hac parte patet e scriptoris mente haec esse supplenda: »*non minus stulte et vecors ac vir ille agit auditor verbi, qui praecepta religionis Christianae cognita habet, audita vero observare negligit.*» Speculi evangelii

usus nullum ei affert fructum, quandoquidem statim obliviscitur, quae conspexerit.

Ut dicere incepimus, sect. 25 describitur contraria agendi ratio, scil. viri cujusdam, qui curvato corpore (*παρακύψας*) diu (*παράμεινας*) speculum inspicit. Ut pulchrum et accuratam dicendi rationem nostri auctoris rite intelligamus, haec sunt monenda. Veteres plerumque utebantur speculis metallicis, corneis vel vitreis, quae non, ut nos, parieti adfigere, sed humi deponere solebant. Interdum etiam aquam limpidam pro speculis adhibitam fuisse constat. Quodsi igitur aliquis propius et distinctius contemplari vellet, se ipsum debebat curvare; quam significationem vocabulo *παράκνπτειν* inesse supra vidimus.

Quo magis discrimen, quod inter agendi rationem hujus hominis et prioris illius intercedit, cuique in oculos incurreret additur *καὶ παράμεινας*. Hicce non negligenter abit, sed manet in contemplando ac meditando divino verbo, et sic quidem talis homo censendus est non frustra speculum evangelii in usum adhibuisse. Saepissime mente revolvens ea, quae lex divina jubet, pro virili parte ejus praeceptis obsequium praestat. Jacobus consulto h. l. evangelium denominat *legem perfectam libertatis* scil. effectricem; nimirum eo consilio ut jam in antecessum indicaret, quam ob causam *ὁ ποιητῆς ἔργου* felix praedicandus sit ¹⁾. Hujus felicitatis fons inde repetenda est, quod evangelium unumquemque, qui ejus praecepta rite observat, a peccati servitudine liberum reddit, atque efficit ut haud amplius vi coactus, sed sponte i. e. sui ipsius animi impulsu ductus, quae vera et honesta sint, sequatur.

¹⁾ *μακάριος ἐν τῇ ποιήσει αὐτοῦ ἔσται*. Particula *ἐν* majorem habens vim quam *δια* suadet hanc esse auctoris mentem: quisquis religionis Christianae praeceptis obsequium praestat, hac re (dummodo id faciat) in dies majore fruetur felicitate: aliis verbis bene vivendo procedit ad beate vivendum. Neque huic interpretationi obstat futurum *ἔσται*, quod praesentis fere vim habet, atque usurpatur in admonitione, hoc sensu: quodsi talia facis, equidem tibi promitto, felix eris.

CAPUT II. SECT. 14—17 ET 26.

FIDES SINE OPERIBUS NULLA.

Οὐ πᾶς ὁ λέγων μοι, Κύριε Κύριε, εἰσελεύσεται εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν: ἀλλ' ὁ ποιῶν τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς.

CHRISTUS.

Οὐ γὰρ ἀκροῦται τοῦ νόμου δίκαιοι παρὰ τῷ Θεῷ, ἀλλ' οἱ ποιηταὶ τοῦ νόμου δικαιωθήσονται.

PAULUS.

Sect. 14. Τί τὸ ὄφελος, ἀδελφοί μου, ἔαν πίστιν λέγῃ τις ἔχειν, ἔργα δὲ μὴ ἔχῃ; μὴ δύνανται ἡ πίστις σώσαι αὐτόν.

Quaenam utilitas ¹⁾, fratres mei, si quis fidem dicat se habere, et opera nulla habet? Potestne fides ²⁾ sola eum salvum reddere?

1) Τί τὸ ὄφελος scilicet ἔστιν = συμφέρον quid prodest? Quaenam utilitas inde redundat? Nempe ad salutem aeternam, ut altero parallelismi membro explicat voc. σώσαι. Respondeatur: nulla. Interrogatio haec efficacissime negat. Τὸ minus recte explicatur τοῦτο; particula construenda cum ὄφελος. Paulus, qui eandem formulam adhibet 1 Cor. XV: 13. eodem sensu 1 Cor. XIII: 2. dicit οὐδὲν ἐμν.

2) Ἡ πίστις. Artic. ἡ supra omissus h. l. consulto additur. Ἡ πίστις scilicet μόνη idem quod Sect. 17. ἡ πίστις καθ' ἑαυτήν. Sola notio reli-

ἐὰν πίστιν λεγῆ τίς ἔχειν. Πίστις apud Jacobum latiore sensu occurrit ita ut denotet: *fidem quam habemus religioni, seu persuasionem, de rebus ad religionem Christianam pertinentibus, quatenus ea sita est in intellectu.* Hanc veram esse interpretationem patet ex sect. 19 seqq. ubi Apostolus tria affert exempla τῆς πιστέως. Primum (sect. 19) ducitur a malis angelis, qui dicuntur πιστεύειν unum esse Deum. Tantum vero abest, ut hi Deum colerent, ut potius eum maximo persequantur odio ¹⁾. Alterum exemplum est Abrahami (sect. 21 sq.). Abrahamus veram religionem profitebatur, persuasum sibi habebat unum et verum esse Deum. Sed propter hanc solam πίστιν minime tantopere Deo placuit, ut eum placuisse scimus. Aliud quid accedit. Eundem Deum tota mente et vita colebat, quod luculenter demonstravit in ipso filio immolando. Ex his igitur satis superque patet πίστιν apud Jacobum alio sensu occurrere quam quo plerumque ²⁾ usurpatur a Paulo ³⁾. Tertium

gionis non potest hominem σώσαι. i. e. felicem reddere, ad vitam adducere aeternam.

1) φρίσσειν. ἀπαξ λεγόμενον. prop. horrere, horrescere, monente Ernestio apud scriptores Graecos saepius aequipollet τῷ μισεῖν. Si quis forte putat h. l. primam servandam esse τοῦ φρίσσειν significationem (quae interpretatio mihi etiam magis placet) tamen eadem manet argumentatio. Daemones *horrore afficiuntur*, nimirum quia *Deum non colunt*. Dictum sequens pro praecedente.

2) Plerumque dico, nam voc. πίστις interdum etiam eodem sensu usurpat Paulus Rom. XII: 3. XIV: 1. 1 Cor. XII: 9. Tit. I: 13.

3) Haec quam secuti sumus τῆς πιστέως καὶ τῶν ἔργων apud Jacobum interpretatio, si recte sese habeat, patet nullum verum exstare dissidium inter doctrinam auctoris et Pauli de δικαιοσύνη, Coll. Rom. III: 27. IV: 25. Gall. II: 16. III: 6 sq. Hebr. XI: 17—19, 31. — Verbis et formulis discrepant, quod ad rem ipsam idem sentiunt. Paulus etenim dicens ἐκ πίστεως δικαιοῦται ἄνθρωπος, οὐκ ἐξ ἔργων νόμου, eo sensu πίστιν usurpat, quo indicat talem animi affectionem, quae sese prodit operibus et pie factis, aliis verbis, Paulus docet: homo justificatur a Deo *per fidem perspicuam, piis animi sensibus et factis*, Jacobus: homo justificatur a Deo *per pie facta*, quae ex fide ducunt originem. Ambo igitur in eo consentiant ho-

exemplum a Rachabe ductum, quod ut satis perspicuum, brevitate causa, silentio praetermittimus, eodem redit. πίστιν ἔχειν igitur vertimus, *religionem noscere, profiteri. λέγειν* h. l. est *jactari, gloriari.*

Ἔργα δὲ μὴ ἔχη. ἔργα τῆς πιστέως significat sensus et facta, quae oriuntur ex fide Christiana. Exempla τῶν ἔργων deinceps attulit Jacobus haecce: *esse benevolum, non habere personarum rationem* cett. quae omnia Christianam spirant indolem.

Hic locus arctissime cohaeret cum praecedente, quem explicavimus cap. I. sect. 23 seqq. Jacobus postquam monuerat religionem Christianam non modo audiendam et profitendam sed etiam in *πραξίν* esse convertendam, egregiam hanc doctrinam illustravit binis exemplis iu utramque partem allatis sect. 26 et 27. Deinde initio nostri capituli (a sect. 1—14) a via paululum digressus est. Exemplis supra positus aliud adjecit peti- tum ex nonnullorum in conventibus sacris agendi ratione. Post hunc digressum n. l. redit ad propositam quaestionem, ita tamen ut aptus, qui e superiore ad nostrum locum paratur transitus facile in oculos incurrat. Egregiam enim similitudinem qua deinceps rem illustrat, sumit a factis illorum, quos in praecedentibus oppugnaverat.

Sect. 15. *Εάν δὲ ἀδελφός ἢ ἀδελφή γυμνοὶ ὑπάρχωσι, καὶ λειπόμενοι ὡς τῆς ἐφημέρου τροφῆς.*

minem justificari *per fidem conjunctam cum operibus.* Alter vero *τα ἔργα τῆς πιστέως*, alter *τὴν πίστιν τῶν ἔργων* magis urget. Quae diversa dicendi ratio explicanda est e diverso utriusque scribendi consilio. Fusius de hac re egerunt C. C. Tittmannus sententia Jacobi Cap. II. de fide, operibus et justificatione, *opuscula theologica*, p. 391. — Aug. Neander: Paulus und Jakobus. Die Einheit des Evangelischen Geistes in verschiedenen Formen, et imprimis Knapp. Scripta var. argum. de dispari formula docendi, qua Christus, Paulus atque Jacobus de fide et factis disserentes usi sunt, item de discrimine *ἔργων νόμου* et *ἔργων ἀγάθων*, denique de dissidio Petri et Pauli Antiocheno.

haec ipsa res nullo modo melius praecaveri possit, quam si interdum loquentes proponit homines. Res enim si ita ante oculos observantur, altius eriguntur animi fiuntque attentiores. Jacobus h. l. in scenam ducit fratrem, nimirum Christianae religionis socium ¹⁾. Summa premitur ille inopia. Caret enim vestitu, quo corpus arceat ab aëris injuria, neque habet, ut depellat famem. *Nuditas* et *fames* hic memorantur, quandoquidem hae duae omnes complectuntur vitae calamitates, quae aliena ope facili sublevari possint. Noster igitur homo amici cujusdam implorat auxilium, sed frustra. Ille enim omnia quidem fausta ei apprecatur, ipsam vero opem afferre negligit. Ratio et rei ipsius natura postulant, ut non talem virum cogitemus, cui desint vires misero occurrendi, sed potius avarum et inhumanum. Hoc assumpto, videmus ad comparationem ornandam multum conferre, pia illa omina, quibus non parcitur avarus. Speciem habent religionis. Judaei enim solemnem formulam, quam ille adhibet, usurparunt, quando ejusdem religionis socium, Johovae omnipotentis curae mandabant. Talia autem bona verba, siquidem profiscantur ab eo, qui rogata dare facile potest, nullius pretii sunt aestimanda; contra produnt eum simulatorem, qui aliter videri, aliter esse studet. Cum tali viro comparatur homo Christianus, qui ore tandummodo profitetur religionem. Hicce quoque sacris utitur verbis. Saepius repetit formulas, quibus jactat et gloriatur se fidem habere Deo Christoque. Attamen ipsius vitae ratio et mores nullum afferunt indicium, fidem, quam jactat, sedem habere in animo.

¹⁾ Varias rationes, ob quas Jacobus n. l. in similitudinem adduxerit fratrem, religionis socium, his verbis complectitur Baumgarten: Der Apostel braucht die Bestimmung Brüder oder Schwester, um ein desto deutlicher Beispiel aufzustellen von vollkommene Unleugbarkeit auch bei den Jüdischgesinnten Christen; um anzuzeigen dass auch ein wahrer Christen in solche Umstände kommen könne, das auch von Christen vielleicht, und dann um so strafbarer, so zu ihnen gesprochen würde, sich nicht blos freundlich zu stellen, sondern auch ausdrücklich ein liebeiches Vorhaben mit Worten zu versichern und ihnen noch nähere Hoffaung zu machen.

Jacobus postquam, proposita avari imagine, haud sine indignatione quaesivisset *τί τὸ ὄφελος, potestne talis ficta misericordia, quae λογῶ et γλώσση non ἐν ἔργῳ et ἀληθείᾳ consistit ullam habere efficacitatem?* Sect. 17. statim ad similitudinem applicandam transit. Responsum igitur ad hanc quaestionem lectori relinquitur. Quod silentii punctum, aliquam certe habet eloquentiae vim et *ἐνεργείαν*. Indicat rem tam claram et perspicuam esse, ut ipsius scriptoris responsio supervacanea videatur 1).

Eadem sententia, alia comparatione illustratur in fine hujus capituli:

Sect. 26. *Ὅσπερ γὰρ τὸ σῶμα χωρὶς πνεύματος νεκρὸν ἐστίν, οὕτω καὶ ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρά ἐστίν.*

Quemadmodum corpus sine anima cadaver est, sic etiam fides operibus destituta mortua est.

Quod ad grammaticum sensum, hic locus nullam parit difficultatem, sed caveamus ne in ejus applicatione ultra similitudinis

1) Quod attinet ad-comparationis applicationem, Storrius, quem multi recentiores secuti sunt, animadvertit: apodosin comparisonis hactenus abire a protasi ut illa proprium hominis, haec aliorum commodum adjuvare neget. Sicuti caritas nullis benefactis conspicua nec caritas est, nec egenis, quibus servire debebat, utilis; ita fides, quae non est animi affectio faecunda bonis actionibus pariter e mentita est, nullamque ei utilitatem affert, qui commoda sperabat ab hac fide sua. Potest sane ita explicari. Verissimum est blanda illa verba non prodesse egenti. *Nilominus*, ait Erasmus, *algebunt aut esurient ob hujus orationem, quae necessitati non opitulatur. Rūleri se putant, quibus dicit: calefcite, saturamini, quibus neque vestis datur, neque cibus.* Si autem praecedentem orationis contextum consulimus, melius putaverim, post *τί τὸ ὄφελος* supplere *ὑμῖν*. Sect. 13. Jacobus monet misericordiam aliquando victoriam celebraturam de judicii severitate. Jam sic pulchre et concinne pergit oratio: n. l. de industria similitudinem duxit a misericordia, ut hanc virtutem magis commendaret, docens talem misericordiam, quae pie factis conspicua est, unice hominem salvum reddere.

punctum progrediamur; ceteroquin facile incideremus in ea quae falsa sunt. Neque enim id dicere voluit Jacobus, eandem necessitudinem exstare inter *fidem* et *opera*, quae intercedat *corpus* inter et *animum*, sed instituta comparatione indicat et fidem *sine operibus* et corpus *sine anima sive spiritu* mortuum esse et nullam habere efficacitatem. Tertium comparationis est *absentia vitae*.

Quum autem constet *πνεῦμα* etiam significare *halitum sive respirationem*, qua sese exserit spiritus, commode nostram similitudinem explicare possumus: *sicuti vita, corporis halitu cernitur, ita etiam fides sese prodit pie factis*. Quod si igitur illae apud hominem Christianum desiderantur, eodem jure concludimus veram deesse fidem, quo, respiratione sublata, statuimus corpus esse cadaver.

Haec comparatio ob singularem breviter et perspicuitatem dignissima clausula et veluti corona dicenda est totius gravissimae disquisitionis de vera fidei indole et natura.

CAPUT III. SECT. 3—5^a.

SUMMA LINGVAE VIS.

Θάνατος καὶ ζωὴ ἐν χειρὶ γλώσσης· οἱ
δε κρατοῦντες αὐτῆς ἔδονται τε καρπὸς
αὐτῆς.

SALOMO.

Sect. 3. Ἐι δε ¹⁾ τῶν ἵππων τοὺς χαλινοὺς εἰς τὰ
στόματα βάλλομεν ²⁾, πρὸς τὸ πείθεσθαι
αὐτοὺς ἡμῖν, καὶ ὅλον τὸ σῶμα αὐτῶν με-
τάγομεν.

4. Ἴδου καὶ τὰ πλοῖα, τηλικαῦτα ὄντα καὶ ὑπὸ
σηληρῶν ἀνέμων ἐλαυνόμενα μετὰγεται ὑπὸ

1) Vulgaris lectio ἰδοῦν, quam tamen pauci iique minores habent codi-
ces; εἰ δε legunt C. 13, 14, 19, 57, 65 (c. al. 5) 68, 69, 78, ex. em.
83, 95, 98, al. 17. Mth. a. al. 8. Ed. Damasc. Thph. dis., probante
Griesbachio; εἰ δε legunt. A. B. G. 8, 15, 18, 25, 31, 36, 40, 73, 78.
Kopt. Arab. Oec. Latt. ap. Bed. (sicut autem) Aethiop. (et praeterea) non
improbante Pottio exhibentibus Gebsero, Lachmanno, Tisshen-
dorffio. — Praeferendam duximus lectionem εἰ δε, quia ea longe est diffi-
cilior, si quidem apodosis (quae tum incipit a verbis καὶ ὅλον) facile videri
potuit deesse, atque igitur sponte se offert suspicio librarios ut omnem tol-
lerent difficultatem lectionem εἰ δε in faciliorem ἰδοῦν mutasse; praesertim
cum ἰδοῦν sexies apud Jacobum occurrit.

2) Τῶν ἵππων — βάλλομεν. Ordo verborum sic instituitur: εἰς τὰ
στόματα τῶν ἵππων τοὺς χαλινοὺς βάλλομεν. Similis vocabulorum
transpositio invenitur Joh. XII: 47. ἔαν τις μου ἀκούσῃ τῶν ῥημάτων,
προ ἔαν τις τῶν ῥημάτων μου ἀκούσῃ.

ἐλαχίστου πηδαλίου ὅπου ἂν ἡ ὄρμη τοῦ
εὐθύνοντος βούληται,

β. Οὕτω καὶ ἡ γλῶσσα μικρὸν μέλος ἐστὶ καὶ
μεγαλαυχεῖ.

Quodsi equorum frenos ¹⁾, in ora conijcimus eo consilio ut nobis obediant ²⁾, (hac ratione) efficitur ut totum corpus circumagamus. Ecce quoque ³⁾ naves, quamvis tantae sint et saevorum ventorum vi huc illuc jactentur, tamen circumaguntur ope modici gubernaculi ⁴⁾, quamcunque in partem impetus rectoris ⁵⁾ voluerit; — sic etiam lingua exiguum licet membrum, magnarum tamen ⁶⁾ rerum est effectrix ⁷⁾.

1) βάλλειν τοὺς χαλινοὺς (plur. num. quia sermo est de equis). Haec paraphrasis τοῦ χαλινοῦν vel ἐπιστομάζειν usurpatur quandoquidem *frenum* (χαλιόν) in ore equi deinceps comparatur cum *lingua in ore hominis*.

2) πρὸς τὸ πείθεσθαι = ἵνα πειθῶνται. πείθεσθαι etiam ab aliis scriptoribus de equo usurpatur; cf. Xen. Cyr. VI: 3, 3. πείθεται ὁ ἵππος χαλινῶ.

3) καὶ = οὕτως. Sic quidem apodosin indicat. Cf. Rom. VIII: 17. ἐι δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι.

4) πηδάλιον. (α πηδόν *remus*) gubernaculum quo navis regitur. Vox adjectivi formam referens commode sine articulo adhiberi potest.

5) ἡ ὄρμη τοῦ εὐθύνοντος. — εὐθύνειν prop. *complanare* saepius notionem habet *dirigendi*, et tum de *auriga*, tum de *gubernatore* dicitur, inde ὁ εὐθύνων (ὁ εὐθύνητης) = *γυβερνήτης gubernator, rector*. Studium quo rector navem dirigere conatur, eleganter dicitur ἡ ὄρμη (pr. *impulsus, impetus*) quia recta navis gubernatio non modo summam animi attentionem, sed interdum etiam celeriore corporis impetum postulat, ut sic ventorum et undarum vis devincatur.

6) καὶ pro καὶ ὁμός atque tamen.

7) μεγαλαυχεῖν pr. *superbire, magna crepare, jactare*; quae interpretatio bene convenit cum consuetudine linguae, quae grandioribus et insolentibus verbis saepius sese extollit, minus autem concinnat cum duplici apposita similitudine. Itaque ob orationis contextum cum *Theophylacto*, aliisque statuimus μεγαλαυχεῖν dici (antec. pro conseq.) pro μέγαρα ποιεῖν magna moliri.

Jacobus in praecedentibus fratres monuerat eo majore cautione sese abstinere a munere docendi 1) quo severiori judicio aliquando obnoxii sint *οἱ διδάσκαλοι*. Causa ob quam in eos severius exercendum sit iudicium in eo quaerenda, quod omnes homines in multis labuntur; unde sequitur nobis ipsis potius prospiciendum esse quam aliorum vitia curare et reprehendere. Imprimis multi errores committuntur abusu linguae, quam bene moderare tam arduum est negotium, ut si quis verbis non peccet eum jure habeamus hominem perfectum, qui ceteras quoque corporis partes feliciter regere valeat. Jam sic versatur auctor in explicanda difficultate bene moderandi linguam ut primum agat n. l. de *summa ejus vi et efficacitate tam in bonam quam in malam partem*. Ad hanc rem dilucidius et ornatius exponendam duplicem affert similitudinem. De singulis videamus.

Prior ducitur a freno equorum. — Equus jure celebratur animal impetuosum ardore plenum, ejus rapiditas et generositas veteres in tantam abripiebat admirationem ut Latinum poetam 2) haec canentem audiamus :

Recte ad hanc vocem *Calvinus: μεγαλυχεῖν Graecis jactare se et venditare significat; sed Jacobus h. l. non tam ostentationem taxare voluit, quam dicere linguam esse magnarum rerum effectricem. Postremum enim membrum priores similitudines accommodat praesenti instituto. Freno autem et gubernaculo non conveniret inanis jactantia. Significat igitur linguam magna vi pollere. Caeterum verba dicendi interdum de rebus effectis more Hebr. usurpari disertius ostendit Glassius in *Philologia Sacra*. p. 122 sqq.*

1) *μη πολλοὶ διδάσκαλοι*. Interpretes in duas abeunt partes; alii statuunt hic inveniri cohortationem ne nimis multi ambeant docendi munus, alii *διδάσκαλοι* accipiunt *cavillatores, vitiorum reprehensores*. Utraque sententia facile in concordiam reduci potest; si statuimus magistros illius aetatis pro maxima parte plus versatos fuisse in superbe reprehendendo, quam in docendo discipulos. A tali *διδασκαλεία* Christiani jubentur sese abstinere.

2) Virgilius Georg. III: 75. Cum hoc loco conf. elegantissima equi descriptio quae invenitur Job XXXIX. 22.

Continuo pecoris generosi pullus in arvis
 Altius ingreditur, et mollia crura repouit;
 Primus et ire viam, et fluvios tentare menaces
 Sudet, et ignoto sese committere ponti;
 Nec vanos horret strepitus. Illi ardua cervix,
 Argutumque caput, brevis alvus, obesaque terga;
 Luxuriatque toris animosum pectus. Honesti
 Spadices, glaucique; color deterrimus albis,
 Et gilvo. Tum si qua sonum procul arma dedere,
 Stare loco nescit; micat auribus, et tremit artus;
 Collectumque fremens volvit sub naribus ignem.
 Densa juba, et dextro jaetata recumbit in armo.
 At duplex agitur per lumbos spina, cavatque
 Tellurem et solido graviter sonat ungula cornu.

Ferox illud animal, quamvis summis gaudens viribus, facile tamen regitur. Nempe in ejus ore immittimus frenum atque hac sola re tam exigua, efficimus ut equus, qui ceteroquin nobis fortiter repugnaret, plane nostrae obtemperet voluntati. Corpus enim circumagitur et flectitur in quamcunque partem ipsi cupiamus. De applicatione hujus imaginis ad *linguam* agamus postquam nonnulla monuimus de altera comparatione, quae priori tam elegantia quam gravitate praestat; unde in descriptione gradatio pulchra animadvertenda est. Cornelius à Lapide similitudinem inter utramque comparationem his indicat verbis: »est secunda similitudo petita a navium gubernaculo, ideoque similis primae petita ob equorum freno. Nam navis in mari est id quod in terra equus et currus; ac sicut *equus* regitur *freno*, sic *navis* gubernaculo: unde *navis* a Plauto Rud. act. 1. vocatur *equus ligneus*; et Homerus Od. 4. *Celeres*, ait, *in mari naves equorum loco sunt*. Pulchre vero *Catullus* in *Carm. de Nupt. Pelei*, navem vocat *volitantem flamine currum*, quia flatu ventorum agitur.

»Ipsa, ait, levi fecit volitantem flamine currum,

»Pinea conjungens inflexae texta carinae.””

Tria potissimum sunt rerum momenta, quae similitudinis pon-

dus et gravitatem admodum augent. Primum memorantur *naves onerariae*, velis instructae, quae ingentia impositarum mercium pondera continent 1). Veteres, quo facilius longinqua institui possent commercia maritima, naves ex denso ligno quam maximas aedificabant, ita ut haud mirum videatur Virgilium de iis cecinisse :

..... Credas innare revulsas cycladas

Accedit quod hae naves tantae planitiei et molis insuper dicuntur *gravibus agitatae ventis*. *Ανέμοι σκληροί*, qui commemorantur, semper apud veteres occurrunt, quando sermo est de *vehementiore ventorum impulsu et commotu* 2). Quodsi igitur tales naves primo obtutu difficillimae videntur gubernatu, quid statuendum, si contra tantam etiam ventorum injuriam defendi debeant! Attamen reguntur idque quidem exiguo quodam gubernaculo. Rector eo utitur ad navem dirigendam, quo ipse velit. Sic minimo instrumento et rapidi maris et gravis tempestatis potestas compescitur 3).

Applicatio utriusque similitudinis verbis sect. 6 *ὄντω καὶ ἡ γλῶσσα κ. τ. λ.* diserte ad summam linguae vim refertur. Quemadmodum *frenum* ratione habita *equi*, *gubernaculum* ratione

1) Jes. XXXIII: 21 mentionem facit de iis sub nomine *רִבְרִיבֵי צִי*. *Vulgatus* explicat de *navibus tribus remigum ordinibus ornatis*.

2) *Arrian. de Exp. Al.* I: 26. 3. *τότε δ' ἐκ νότων σκληρῶν βορραὶ πνεύσαντες*. *Aelian. de anim.* V: 13. *σκληρὸν πνεῦμα* vehemens ventus. et IX: 14. *ἵνα μὴ ἀνατρεπῆται ὑπὸ τῶν ἀνέμων, εἴποτε σκληροὶ κατέπνεον*. Cf. *Dio Chrys.* III, p. 44 c.

3) Vim freni descripsit *Philo de M. O.* p. 19 E. *τὸ δε δομικώτατον ζῶόν ἵππος ῥαδίως ἄγεται χαλενωθεὶς*. *Sophocles Ant.* 483.

σμικρῶ χαλινῶ δ' ὄϊδα τοὺς θυμουμένους ἵππους καταριθίντας.

Vim gubernaculi *Arist. Q. Mechan.* 5, *τὸ πηδάλεον, μίκρον ὄν, καὶ ἐπίσχάτω τῷ πλοίῳ, τοσαύτην δύναμιν ἔχει, ὥστε ὑπὸ μίκρον οὐλίαν καὶ ἕνος ἀνθρώπου δυναμέως, καὶ ταύτης ἡρεμαίας, μέγαρα κινεῖσθαι μεγέθη πλοίων*.

navis, sic etiam *lingua* ratione *ceterarum corporis partium* pusillum quidem est membrum, attamen non minus quam illa magnarum rerum potest esse effectrix.

Verissimum sane iudicium de summa linguae vi et efficacitate, quod duplici pulcherrima comparatione illustravit scriptor. Quid enim tam bonum aut tam salutare fingi potest, quam linguae vis? At idem exiguum membrum, quando turgidum et jactabundum sese extollit, magnas condit calamitates. Sed de hisce non est, quod hic agamus, quoniam de infinita, quam habet lingua singulatim *in malam partem* efficacitatem, in sequente capite videbimus.

Linguae vis a variis scriptoribus tam sacris quam profanis omni tempore diverse exposita est. Salamonis imprimis scripta gravissimis abundant hujus rei descriptionibus. Prov. X: 20. *linguam justi* comparat *cum argento igne probato*. XII: 18. *Verba viri insipientis* vocat *gladii confossiones*, quae alios laedunt et damnum afferunt: contra *sapientis* linguam habet *remedium* omnibus modis salutare 1). Prov. XIV: 3. *In ore stulti baculus est insolentiae* i. e. *superbiae*, quo, dum insolenter loquitur, homines percutit. XIV: 2. *Lingua sapientum gratam reddit scientiam* 2). *Sed os stultorum scaturire facit stultitias*. XV: 7. *Sapientum labia dispergunt sapientiam*. XVIII: 6—8. *Vesani labia veniunt in litem*. (sese inmiscet contentioni) *et os ejus verbera provocat* (plagis delectatur). *Os stulti sibi est detrimento et labia ejus sunt animae suae laqueus*; metaphora ducta ab

1) Salomonem comparationem *linguae cum medicamento* in deliciis habuisse testantur Prov. XV: 4. *sanatio sive medela linguae arbor vitae* (vitam affert) contra *perversitas in ea* i. e. improbus linguae usus, est quasi *fractio in animum*, dolore animum afficit XVI: 24. *Eloquia amoena sunt favus mellis dulcedo animae*. De his caeterisque imaginibus lectu dignissima sunt, quae adscripsit Palmius in opere ejus palmario cui titulus Salomo.

2) Interprete Palmio hic invenitur comparatio cum arbore, quae sapientiam profert tanquam dulcem fructum.

aucupio aut venatu. *Verba susurronis sunt talia quibus vulnerantur homines et ipsa descendunt in penetralia ventris.*

Neque apud scriptores profanos dēest eadem linguae cum freno et gubernaculo comparatio. Plato in Axioch.: *Ἡγίαις και μάστιγι τοὺς ἵππους ἰθύνομεν και ναυτιλλώμεθα, πη μὲν τοῖς ἰστίοις τὴν ναῦν ἐκπετάσαντες, πη δὲ ταῖς ἀγκύραις χαλινώσαντες καταβύδομεν· οὕτω κυβερνητέον τὴν γλῶτταν, πη μὲν τοῖς λόγοις ὀπλίζοντες, πη δε σιωπῇ κάτευνάζοντες.* Omnes hae descriptiones, quamvis suam peculiarem habent pulchritudinem et gravitatem, nulla tamen earum plane cum nostra est equiparanda. Nam quod attinet ad Platonis sententiam, quae proxime accedere videtur ad nostri auctoris locum, desideratur in ipsa dilucidior et gravior illa similitudinum expositio, de qua supra monuimus.

CAPUT III. SECT. 5^b—6.

SUMMA LINGUAE VIS SINGULATIM IN MALAM PARTEM.

Ο Θείων ζωὴν ἀγαπᾶν, καὶ ἰδεῖν ἡμέ-
ρας ἀγαθὰς πανοἴατω τὴν γλώσσαν αὐτοῦ
ἀπο κακοῦ, καὶ χεῖλη αὐτοῦ τοῦ μὴ λα-
λῆσαι δόλον.

PETRUS.

Sect. 5^b. Ἴδου ὀλίγον ¹⁾ πῦρ ἠλίκην ὕλην ἀνάπτει.

» 6. Καὶ ἡ γλώσσα πῦρ, ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας ὄντως ²⁾ ἡ γλώσσα καθίσταται ἐν τοῖς μέ-
λεσιν ἡμῶν, ἡ σπιλοῦσα ὄλον τὸ σῶμα, καὶ
φλογίζουσα τὸν τροκὸν τῆς γενέσεως, καὶ
φλογιζομένη ὑπὸ τῆς γεέννης.

Ecce parva ignis quantam silvam ³⁾ incendit; etiam

1) Pro ὀλίγον A*, BC* Vulg. Chrys. Occ. ἠλίκων legunt. Fortasse librarius quidam, in errorem ductus per sequentem ἠλίκην, priore quoque loco hanc vocem ponendam esse statuit. Ceterum Gagnaius et Corn. à Lapide interpretes R. C. lectionem ἠλίκων quam etiam vulgatus habet ironice dictum explicant. Sic res eodem redit.

2) ὄντως multi codices omittunt, probantibus Bengelio, Grotio, Griesbachio. Facile omitti potest, nam relicta comparationis diserta notatione magis nervosa redditur oratio.

3) ἠλίκην ὕλην. ὕλη dicitur tum de unaquaque materia seu materialium lignorum congerie, tum de silva. Posterior interpretatio praeferenda, quia imago ducta a silva incensa, non solum grandior et aptior videtur, sed etiam apud vett. magis est usitata.

lingua ista colluvies improbitatis ignis est; eadem ratione lingua sese sistit inter membra nostra, quippe inquinans totum corpus et in flammam reddens ¹⁾ rotam nativitatis et flagrans flammis ex inferno incensis.

Ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας. Haec formula admodum exercuit interpretum industriam. Ante omnia rogatur utrum salva sit lectio nec ne; ad quam quaestionem affirmando respondendum videtur. Syrus quidem, probantibus Moro, Augustio, de Wettio, supplemendum putavit ὕλη ²⁾. Sed si vel maxime concedimus additam vocem plenior reddere similitudinis applicationem, tamen ipsa illa plenitas non bene conciliari potest cum auctoris admodum nervosa dicendi consuetudine. Aliam rationem inierunt Eichhornus, Hammondus, Hottingerus aliique, qui totam formulam pro *glossemate* habent per librariorum errorem e margine in textum allato. Nullum vero sanum attulerunt argumentum quo probaretur haec vocabula, tot iisque vetustissimis codicibus et versionibus irrepsisse. Sententia neque superflua neque languida; quin hisce additis longe nervosior fit applicatio.

Salva igitur lectione nova oritur quaestio de vero hujus formulae sensu.

Κόσμος prop. denotat *pulchrum ordinem*, unde facile effluxit *ornamenti* significatio. Hanc interpretationem h. l. acceperunt, duce Wetstenio, Elsnerus, Semlerus, Storrius aliique explicantes: *lingua improba, ea quoque quae injustissima sunt, ornat verbis suisque coloribus adspergit et depingit.*

¹⁾ φλογισομένη κ. τ. λ. Grotius aliique vertunt quasi scriptum esset φλογισομένη quod Syrus etiam legisse putant. Sed multo pulchrior redditur sententia si vulgarem retinemus lectionem. Praesens apte sic vertitur quae inflammata est et nullo non tempore inflammatur nimirum ὑπὸ τῆς γεέννης.

²⁾ ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας ὕλη. mundus improbitatis praebet materiam, scil. igni linguae.

Haec sententia duplici premitur difficultate. Primum κόσμος (*ornamentum*) active informari nequit; deinde non liquet quomodo, hoc sensu admisso, formula in concordiam reduci possit cum similitudine ignis et cum toto orationis contextu.

Κόσμος etiam dicitur de *mundo*, quippe *pulchro ordine* disposito, idque vel universe de *tota rerum universitate*, vel per synecdochen de primaria ejus parte (ut antiquis videbatur) *terrarum orbe*. Posteriorem interpretationem sequitur Theilius explicans »lingua est *mundus iniquitatis*, i. e. *improbitate vel malitia plenus*, nimirum propter pestiferam ejus vim, igni similem.” Haec explicatio non multum discedit ab ea, quam praeter alios tuiti sunt Erasmus, Lutherus, Calvinus ¹⁾, Pott, qui omnes explicant κόσμος de *complexu s. ingenti rerum multitudine*, quae notio facile ex praecedente illa *mundi* derivatur.

Hanc potissimum significationem hic esse urgendam suadent tam loquendi usus omnibus linguis frequentissimus quam orationis series. Neque enim veteres tantum, sed recentiores quoque populi vocem eodem usurpare sensu satis superque constat ²⁾. Quodsi vero ita vertimus, formula quae ἐπεξηγησέως causa additur, optime convenit cum praemissa ignis similitudine. Indicat etenim Jacobum incidisse in comparisonem linguae cum igne, ductum persuasione de *multitudine miseriarum*, quas et *lingua et ignis* parere solent: lingua ignis est, *ista* ³⁾ *colluvies plurimorum malorum*.

¹⁾ Calvinus: »Cum addit mundum esse iniquitatis perinde est ac si vocaret mare vel *abyssum*, et eleganter linguae parvitatem cum immensa magnitudine conjungit hoc sensu: *exilis carunculae portus totum iniquitatis mundum in se continet.*»

²⁾ Eadem ratione qua apud Graecos κόσμος dicitur de magna multitudine apud recentiores Germani loquuntur: »eine welt von Ungerechtigkeit” Angli: »an universe of death.” Vernaculo quoque sermone quam saepissime eandem sequimur dicendi rationem, e. g. »een wereld van gedachten.”

³⁾ Particula ὅ h. l. quandam habet emphasin.

Ἄουτως — μέλεσιν ἡμῶν. *Eadem ratione qua ignis totam silvam incendens, grassatur lingua inter cetera nostri corporis membra, quando inflammatur.* Tum enim dici potest *contagio afficiens, contaminans* (ἢ σπιλοῦσα) *et inflammans incendio perdens* (ἢ φλογίζουσα) *totum corpus nostrum* (ὅλον τὸ σῶμα 1).

Τὸν τροχόν τῆς γενέσεως. Haec quoque formula crux est interpretum. Τρόχος ἰ. q. κύκλος. *rota s. circulus.* Quum autem constet multas res ordine quodam redeuntes ad rotae similitudinem revocari posse, inde tantus exstitit iudicum dissensus, ut omnes si recensere sententias, vereretur ne lectorum oculis nebulas obducerem. Sufficiet igitur praecipuas tantummodo commemorare.

Propter antiquitatem ante alias in censum venit interpretatio, quam ducibus Aethiope et Arabe, propugnarunt Beza, Drusius, Cocejus, haud improbane recentiore Theilio, qua τὸν τροχόν τῆς γενέσεως accipitur de *natura s. orbe condito.* Sed grammatica ratio hanc interpretationem non admittere videtur. Praeterea quaerimus cum Pottio: »quid linguae abusus ad totum naturae orbem inflammandum?»

Syrus vertit *seriem generationum nostrarum*, hoc sensu: *lingua malo affecit primos nostros parentes, nos adhuc afficit et post-nascituros afficiet.* Hoc iudicium, quod commode informatur ad Hebraicum תולדות לגלג, improbanda est, quia transgressus, qui tum fit a singulari homine ad totum genus humanum nimis audax est habendus.

Singularis ratio est Stäudlini, putantis Jacobum h. l. retulisse *narrationem Mosaicam de prima origine corruptionis et miseriae humanae*, cujus causa, eo iudice, latet in *verbis insi-*

1) Minime cum Grotio intelligendum *corpus ecclesiae*, quae saepe per unius viri linguam in gravissimas ducitur dissensiones; nam huic interpretationi obstat et praecedens ἐν τοῖς μέλεσιν.

diosis et mendacibus serpentis s. diaboli. Quae interpretatio majorem certe habet commendationem ab ingenii ἀκριβεία quam iudicii veritate. Jacobus enim non agit de *aliorum* sed de *propria uniuscujusque* hominis perniciosa linguae vi. Neque ex ejus doctrina, miseriae humanae origo quaerenda est in serpentis linguae abusu, sed in obedientia summo Numini a parentibus denegata 1).

Magna simplicitate se commendat ratio, quam secuti sunt Isidorus Pelusiota, Beda, Calvinus, Bensonius, Pott, Schneckenburger, multique alii, qui omnes consentientes nostram formulam accipiendam esse de *naturali vitae cursu*, in eo autem paulisper a se invicem discedunt, quod alii notionem *vitae* vocabulo γένεσις inesse putent, alii eam *concludendo* ex ipso efficiant. Quod ad priores attinet recte, ut videtur, ad confirmandum, vitae notionem voci γένεσις inesse provocarunt ad Judith XII: 18. »πάσας ἡμέρας τῆς γενέσεως» coll. Sap. VII: 5. et ex profanis ad Aristidem: »ὅτι παρελθόντες ἤδη σοι τῆς γενέσεως ἐνιαυτοί.» Quamvis igitur interpretatio appositis locis optime defenditur contra recentissimas dubitationes e. g. Bretschneideri, qui negat γενέσιν unquam hoc sensu occurrere, magis tamen placet propriam et vulgarem retinere significationem, ita ut vertamus *rotam nativitatis* i. e. *ea rota, quae cum nascimur moveri incipit, citoque motu usque ad mortem volvitur.* Periphrasis igitur hic invenitur *nostrae vitae et naturae.* Qua recepta totam dictionem φλογίζουσα τὸν τροχὸν τῆς γενέσεως cum Calvino ita describere possumus: *quum alia vitia vel aetate vel temporis successu corrigantur, vel saltem non totum occupent hominem, vitium linguae spargitur et grassatur per omnes vitae partes* 2).

1) Cf. I. 14, 15. Hic Jacobus mali peccati originem non repetit ex causa extra hominem sita, sed ex *sui ipsius prava cupiditate.*

2) Kern: »γένεσις nativitas geht auch über in die Bedeutung von natura; sio sollte wohl hier an beides gedacht werden, an die Natur, an das Wesen des Menschen, als das substantielle und an das Leben, als die durch

Eodem sensus redit, ubi cum Grotio, Griesbachio aliisque pro τροχόν legimus τροχόν i. e. τὸν δρόμον τῆς ζωῆς, ὅλην τὴν ζωὴν totius vitae a prima origine usque ad mortem decursum 1).

Neque multum a nobis discedit Meijerus, qui provocans ad verba Eccles. XII: 6 אֶל-הַבַּיִת הַבְּלָבָל וְיָנִי 2) quem locum auctorem in mente habuisse contendit, nostram phrasin explicat de sanguinis orbe s. circulatione, quae inest humano corpori. Quod si enim ita interpretemur, statuere possumus antecedens dictum pro consequente, ita ut sanguinem inflammatum habeamus causam vitae corruptionis.

γέννα compositum ex גַּי et הַנּוֹם prop. denotat vallem filiorum Hinnomi, quam vallem amoenissimam prope Hierosolymas orientem versus sitam, Israëlitae olim delegerant ad Molochum colendum. Ibi non solum animalia sed etiam infantes sacrificari solebant. Post reditum e captivitate Judaei hunc locum tanto habuerunt odio ut, diris abrogatis sacrificiis, cadavera ac omnium

die Thätigkeiten vermittelte Entwicklung des Substantielles. Mithin ist der Sinn: die zunge entzündet den ganzen kreis (das ganze Gebiet) des menschlichen Wesens und Lebens: d. i. sie theilt ihr eigenes ungebändigtes Feuer allen Theilen des menschlichen Wesens und Lebens mit, bringt die Kräfte in Unordnung, und regt die Begierden und Leidenschaften zum empornen Aufruhr auf. Non multum ab illo discedere videtur Palmius explicans: »die den kiem des levens verteert.»

1) Haec tamen lectio omnino rejicienda videtur. Primum vox τροχόν minus spirans indolem poëticam, parum convenit orationi poëticis coloribus imbutae; deinde non facile in concordiam reduci potest cum metaphora inflammandi; denique tam apud LXX quam in N. T. hoc sensu usitatior est δρόμος (2 Sam. XVIII. Act. XIII: 25. XX: 24. 2 Tim. IV: 7).

2) Et conquassatur rota ad puteum (antequam lux vitae exstinguitur) בְּלָבָל (a בָּלָל volvit) prop. rotam putei trochleam denotat i. e. totam illam machinam, circum quam funis ducitur, et funem ipsum. Occurrit etiam significatione turbinis omnia in gyrum agitantis Ps. LXXVII: 19 et rerum quae a turbine agitantur, ita ut sint volubiles atque instabiles Ps. LXXXIII: 14. Jes. XVII: 13.

sordium genera in istum projicerent. Quum autem ad has sordes consumendas perpetuo opus esset *igni*, locus quoque nominabatur *γέννα τοῦ πυρός*. Eodem vocabulo Judaei metonymice usi sunt ad indicandum *locum suppliciorum aeternorum*, quem putabant in profundo terrae situm, *ignibus plenum*, in quo sine fine cruciandi sunt mali homines et daemones. Similitudo igitur quae inde ducitur gravissima. Sententia enim, qua Jacobus, si non originem, certe indolem descripsit magnorum, quae perniciosa parit lingua, malorum, huc redit: *»tam foedus est ille ignis et abominandus, ut putares eam a daemonibus ipsis inflammari.»*

Singulis his explicatis formulis et dictis, totum locum sic circumscribimus: *ecce parva scintilla quantam valet incendere silvam, etiam lingua est ignis; scintillae instar grassatur et male loquendo late spargit pernicipi semina. Haud aliter atque perniciosa ignis lingua sese sistit inter membra nostra; totam hominis naturam omnesque ejus vitae partes corrumpit, imo vero tam detestabilis ignis ut putares flammam esse diabolicam.*

Haud improbabilis est conjectura, Jacobum hac certe orationis parte veterem quendam imitatum esse poetam. Quidquid hujus rei est, hoc certe constat ejus orationem ad sublimitatem accedere poetam. Neque facile quidquam inveniri potest aut pulchrius aut gravius quam illa descriptio gravissimae, quae ex linguae abusu oritur, pestis.

Ut in dijudicando scriptoris ingenio quodam ordine progrediamur primum attendendum est ad aptam et elegantissimam comparationem, deinde videamus de ratione qua illam amplificavit et illustravit.

Comparatio ab *igne* petita hoc habet commune cum praecedente *freni* et *gubernaculi*, ut per utramque significetur *exiguas res saepius magnarum esse effectrices*; in eo tamen differt, quod indicat ingentia illa, quae ab exiguis causis proficiscuntur, saepius *pestifera* et *immania* esse.

Ad aptitudinem comparationis linguae cum igni comprobendam non opus est ut cum Erasmo provocemus ad linguam tam *specie et colore*, quam *forma et volubilitate* igni similem, quod satis tenue et leve nimis ex longinquo petatum esse videtur. Tertium comparationis positum est in *damno latissime patente*. Sicuti ignis, si recte adhibeatur, multa affert commoda, sin autem ea abutamur, summam perniciem, ita ex hominis lingua multiplex utilitas oritur et ex eadem maxima humanae vitae perniciēs. De igni certa valet quod cecinit poeta ¹⁾).

Wolthätig is des Feuers Macht,
 Wenn sie der Mensch bezähmt, bewacht,
 Und was er bildet, was er schafft,
 Das dankt er dieser Himmelskraft,
 Doch fürchtbar wird die Himmelskraft;
 Wenn sie der Fessel sich entrafft,
 Einhertriht auf der eignen Spur,
 Die Freie Tochter der Natur.

Tristissima ubivis adsunt exempla, quae probant ignem a minimis inceptum paulisper adeo increescere, ut magnas saepius diruere valeat urbes. Inde veteres jam in proverbio habuerunt: *ex scintilla incendium*.

Jacobus mentionem facit *de scintilla* quae *magnam silvam in incendium mittit*. Neque desunt apud alios antiquos scriptores multi loci de silvis incendio deletis ²⁾. Animadvertendum

1) Schiller das Lied von der Glocke.

2) Jesaias (X: 18) in descriptione poenae, quae aliquando imponeretur arroganti Assyriorum regi Deum comparat cum *igne ardente*, qui uno temporis momento omnes spinas vepresque incendit. — Homerus Ilias B. 455. *fulgorem armorum e longinquo prospectum comparat cum igne ardente*, qui *silvam diruit* his verbis:

Ἦῦρ αἰδῆλον ἐπιφλέγει ἀσπέτον ὕλην
 οὐρείος ἐν κορυφῆς . . .

Coll. λ. 155 ubi comparatio ab eadem repetita usurpatur ad pugnae eadem describendam

Pindarus Pyth. III. 66.

Πολλὰν τ' ὄρει πῦρ ἐξ ἑνος σπέριματος ἐνθορὸν αὐτοῦσεν ὕλην.

hujusmodi exempla in Oriente multo frequentiora esse, quam apud nos. Nam et alia nonnulla, et calida, quae per maximam anni partem ibi regnat, aëris temperies mirifice incendiis favent. Jam vero *quanta vis ignis, tanta vis linguae*. Sententia nequaquam exaggerata. Antiquus Scholastes enim verissime dixit »nihil est quod orbem terrarum magis vastat, quam mala lingua” atque Euripides cecinit:

Σμίκερος ἀπ’ ἀρχῆς νείκος ἀνθρώποις μεγα
 γλώσσ’ ἐκπορίζει.

Quis certe definire posset quem ad finem saepissime effrenata sese extendat malae linguae audacia! Quemadmodum saevum et latissime volitans incendium ex parva scintilla natum, sic etiam lingua initio facilis oppressu, deinde tot et tantas accipit vires ut nullo modo coerceri possit. Neque Deo, neque hominibus, neque sibi ipsi parcens omnia incendit atque perdit.

Jacobus comparisonem pulcherrima illustrat ratione, primum addito illo *ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας*. Grandis sane dictio, quae indicat omnia qualiacunque mala, ex lingua veluti e mundo originem trahere. »Recte,” ait Beda, »de linguae disciplina dicitur quod ipsa sit *universitas iniquitatis*, quia cuncta fere »facinora per eam aut concinnantur, ut latrocinia, stupra, aut »patrantur, ut perjuria, falsa testimonia, aut defenduntur, cum »quolibet impurus, excusando scelus quod admisit, simulat ostendere bonum quod non fecit.”

Summa quoque nostrā admiratione digna sunt, quae deinde illustrationis causa adduntur: *οὕτως ἡ γλῶσσα κατίσταται ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν, ἡ σπιλοῦσα ὅλον τὸ σῶμα καὶ φλογίζουσα τὸν τροχὸν τῆς γενεσέως*. Pulchra in hac orationis parte animadvertenda gradatio. Posterior dictio *φλογίζουσα κ. τ. λ.* gravior et grandior illa priore *ἡ σπιλοῦσα*. Sublata enim imagine vertimus: *sic lingua grassatur inter membra corporis ut inquinat et contumelia afficiat totum corpus, quin etiam totam hominis vitam et naturam ab incunabulis*

ad mortem usque miserrimam reddit. Descriptio plane poetica; gravissima malae linguae pestis nobis veluti ante oculos depingitur. Vita humana repraesentatur sub imagine rotae, quae, praecipitante lingua, justo citius circumagitur atque suo ipsius impetu ignem concipit.

Magnum etiam momentum habet dictum illud, quod in fine additur: *φλογιζομένη ὑπὸ τῆς γέεννης.* Sacri scriptores, quum dicunt aliquam rem a diabolo originem ducere, summam ejus foeditatem significare volunt. Indicat igitur Jacobus hoc dicto linguam tam detestabilem esse ignem, ut putares eum a Daemonibus ipsis esse incensum. Cum hac dictione nonnulli interpretes contulerunt Ps. CXX: 4 ubi Davides loquens de convitiandi et calumniandi libidine linguam dolosam comparat cum *carbonibus juniperi*, ad quem locum scriptor quidam Judaicus, Targus, animavertit: istum ignem in frutice juniperi posse dici ignem *incensum ex Gehenna infernae.*

Ceterum cum tota comparatione ante omnes dignissimus, qui comferatur Jes. Sirach. XXVIII: 10 — 26 quem locum ob singularem cum nostro congruentiam non possum quin totum fere hic describam: *Ἀνὴρ ἁμαρτωλὸς ταράξει φίλους καὶ ἀναμέσον εἰρηνεύόντων ἐμβάλλει διαβολὴν. Κατὰ τὴν ὕλην πυρὸς οὕτως ἐκκαυθήσεται, κατὰ τὴν ἰσχὺν τοῦ ἀνθρώπου, ὁ θυμὸς αὐτοῦ ἔσται . . . Ἔρις κατασπενδομένη ἐκκαίει πῦρ, καὶ μαχὴ κατασπενδουσα ἐκχέει αἷμα. Ἐὰν φυσήσης σπινθήρα ἐκκαήσεται, καὶ ἐὰν πτυσῆς ἐπ' αὐτὸν σβεδήσεται· καὶ ἀμφοτέρω ἐκ τοῦ στόματός σου ἐκπορεύεται. Ψέθυρον καὶ δίγλωσσον καταρᾶσθαι, πολλοὺς γὰρ εἰρηνευοντὰς ἀπώλεσαν. Γλῶσσα τρίτη πολλοὺς ἐσάλευσε καὶ διέστησεν αὐτοὺς ἀπὸ ἔθνους εἰς ἔθνος, καὶ πόλεις ὀχυρὰς καθεῖλε καὶ οἰκίας μεγιστάνων κατέστρεψε . . . πληγὴ μάστιγος ποιεῖ μώλωπας, πληγὴ δὲ γλώσσης συγκλάσει ὄσθα. πολλοὶ ἔπεσαν ἐν στοματι μαχαίρας, καὶ οὐχ ὡς οἱ πεπτωκότες διάγλωσσαν . . . Συγός*

αὐτῆς ζυγὸς σιδηροῦς, καὶ οἱ δεσμοὶ αὐτῆς δεσμοὶ χάλ-
 κειοι. Θάνατος πονηρὸς ὁ θάνατος αὐτῆς, καὶ λυσιτελὴς
 μᾶλλον ὁ αἰδῆς αὐτῆς. Οὐ μὴ κρατήση εὐσεβῶν, καὶ
 ἐν τῇ φλογὶ αὐτῆς οὐ καήσονται Τοῖς λόγοις σου
 ποιήσον ζυγὸν καὶ σταθμὸν, καὶ τῷ στόματί σου ποιή-
 σον θύραν καὶ μοχλὸν, πρὸς ἔχε μήπως ὀλισθήσης ἐν
 αὐτῇ, με πέσης κανέναντι ἐνεδρεύοντος.

CAPUT III. SECT. 7 ET 8.

LINGUA FERIS DOMITU DIFFICILIOR.

ὄνκ ἐστὶ γλώσσης ῥεούσης ἐπίοχεσις οὐδὲ
κολασμός

PLUTARCHUS.

Sect. 7. Πᾶσα γὰρ φύσις θηρίων τε καὶ πετεινῶν,
ἔρπετων τε καὶ ἐναλίων δαμάζεται καὶ δε-
δάμασται τῇ φύσει τῇ ἀνθρωπίνῃ.

» 8. τὴν δὲ γλώσσαν οὐδεὶς δύναται ἀνθρώπων
δαμάσαι, ἀκατάστατον ¹⁾ κακόν· μεστὴ ἰοῦ
θανατηφόρου.

Namque omnis natura ²⁾ ferarum et volucrum, ser-
pentium et belluarum marinarum domatur et domita

¹⁾ ἀκατάστατον legunt A. B. 7. *Coptica, Armeniaca, Vulgata (inquietum)* pro vulgari ἀκατάσχετον. Illam lectionem omnino praefendam ducimus. Quod si enim legimus ἀκατάσχετον hic inveniretur repetitio: lingua non domari potest, malum est indomitum. Fortasse librarius antiquiorem lectionem ἀκατάστατον in vulgarem mutavit, quia haec nostrae similitudini convenientior et usitatior est e. g. *Philo τὸ γὰρ στόμα ἀνόξαντες καὶ ἐάσαντες ἀχαλίνοτον καθάπερ ῥεῦμα ἀκατάσχετον φέρεσθαι.* Cf. *Theophr. char. 8. Phocyl 92.*

²⁾ Πᾶσα φύσις... ἀνθρωπίνῃ. φύσις pr. natura, indoles inde genus, species. h. l. utramque notionem commode possumus conjungere, ita ut vertamus: indoles, qua singula animantium genera gaudent; φύσις θηρίων igitur accipiendum de animalium ferocitate, robore, volatu etc. φύσις ἀνθρώπων de humani ingenii solertia.

Species, quae memorantur, per *μερίσμον* omnia complectuntur animalia. Diserte igitur docet auctor *non omnia domari*, sed *nullum eorum esse genus* quod humana adhibita arte compesci non possit. Magna sane haec laus ingenii humani. Belluae ferocitate et crudelitate terrorem nobis injicientes mansuescunt; aves et pisces, qui aliam quemdam incolant orbem, mobilitate totum perlustrantes aërem et mare, capiuntur; quin etiam serpentes, acerbissimi illi humani generis inimici, lethali armatae veneno, haud raro in hominis alliciuntur amicitiam. Ipsa autem illa humana natura, etiamsi tanto gaudet vi et vigore, ab altera parte non satis valet, ut linguam compescere possit.

Neque mirum hoc ita dici de mala lingua, nam ex auctoris mente *malum* est quod *in omnes partes sese vertit* (*ἀκατάστατον*) atque effundit *venenum mortiferum* (*μεστή ἰοῦ θαναφόρου*), quo plena est: i. e. adempta imagine: *lingua pluribus modis noxia, maledicendo, calumniando aliave ratione omnia fere pessundat*. Imago *veneni* non, ut alii putarunt, ducitur ex veterum sagittis veneno imbutis, sed, consulto orationis contextu, a serpentibus *quae venenum sub lingua gestant*.

Eadem imago invenitur Ps. LVIII: 5. Ii qui mendaciter loquuntur *venenum habent, serpentis; instar aspidis surdae quae obturat aurem suam* scil. contra magorum incantationem (sect. 6). Ps. CXL: 4 acuunt *linguam suam* (ad maledicendum) *serpentis instar*. Conf. Eccl. X: 11 et 12, Rom. III: 13. *ταῖς γλώσσαις αὐτῶν ἐδολιοῦσαν ἰὸς ἀσπίδων ὑπὸ τῆς χείλης αὐτῶν*. Ceterum Psalm LII: 4, similitudo invenitur nostrae non plane dissimilis: *Noxia meditatur lingua tua faciens dolum* i. e., interprete Rosenmullero, *sicut novacula vel paululum aberrans gravissime laedit, ita lingua suis calumniis improvisis nocet hominibus*. Cf. Ps. LVII: 5.

CAPUT III. SECT. 9—12.

DIVERSA UNIUS EJUSDEMQUE LINGVAE USUS.

Qualis cujusque animi affectus est, talis est homo; qualis autem homo est, talis ejus est oratio, orationi autem facta similia, factis vita.

SOCRATES apud CICERONEM.

Ἡ ἀγαθὴ διάνοια οὐκ ἔχει δύο γλώσσας, ἐνλογίας καὶ κατάρως.

Test. Patr.

- Sect. 9. Ἐν αὐτῇ εὐλογοῦμεν τὸν θεὸν ¹⁾ καὶ πατέρα, καὶ ἐν αὐτῇ καταρῶμεθα τοὺς ἀνθρώπους καθ' ὁμοίωσιν θεοῦ γεγονότας τοὺς.
- » 10. ἐκ τοῦ αὐτοῦ στόματος ἐξέρχεται ἐνλογία καὶ κατάρω. Ὁυ χρῆ, ἀδελφοὶ μου, ταῦτα ὄντω γίνεσθαι.

Hac ipsa ²⁾ laudibus celebramus ³⁾ Deum patrem-

1) Vulgaris lectio θεὸν κύριον legunt A. B. C. 4. a prim. man, Syriaca, Coptica, Armenica corbejensis, Vulgata Cap. I. 27 eadem formula τῷ θεῷ καὶ πατρὶ.

2) ἐν αὐτῇ more Hebraeorum pro δι' αὐτῆς.

3) εὐλογεῖν ut Hebr. לָלַח Deum laudibus celebrare conjuncta notione gratiarum actionis. Judaei omnem praecationem ordiri solebant a tali εὐδοξία s. ἐνλογία. Exod. XXII: 28. Num. XXII: 6, 12. Deut. XXII: 2. opponitur καταρῶσθαι Hebr. רָרַס imprecari alicui mala, execrari; singulare maledicendi genus quod adhibebatur in religionis adversarios.

que 1), et eadem illà exsecramur homines ad Dei similitudinem creatos; ex uno eodemque ore effluit laudatio et exsecratio 2). Haud fas est, fratres mei, hoc ita 3) fieri.

Jacobus sect. 8 memoraverat linguae instabilitatem et mortiferam vim. Nostro loco hujus rei affert exemplum ductum ex diverso ejusdem linguae usu. Nonnulli sunt Christiani, qui continuo Deum laudibus accumulunt, et simul fratres conviciando et maledicendo contumelia afficere solent. Auctor igitur sic versatur in castigando illo linguae abusu, ut, similitudine ex rebus inanimis ducta, doceat tale quid omni naturae legi adversari. De hac similitudine nobis videndum.

Sect. 11 et 12. μήτι ἡ πηγὴ ἐκ τῆς αὐτῆς ὀπῆς βρῦει τὸ γλυκὺ καὶ τὸ πικρὸν; μὴ δύναται, ἀδελφοί μου, συκῆ ελαΐας ποιῆσαι, ἢ ἄμπελος σύκα; ὄντε ἄλυκὸν γλυκὺ 4).

1) τὸν Θεὸν καὶ πατέρα (= κτίστην)... ἀνθρώπους κ. τ. λ. respicitur ad Gen. I: 26 (אֱלֹהִים אֱמַר לְבָרָא אֱדָם בְּצַלְמֵנוּ) narrationem Mosaicam de homine ad Dei imaginem creato et ad Gen. IX: 6 ubi eadem fere verba repetuntur ad atrocitatem sceleris homicidii gravius insinuandam. Male in versione Belgica, a nostratibus recepta, vertitur *God en den Vader*, aequè ac scriptum esset *Θεὸν καὶ τὸν πατέρα*; vertendum est *God en Vader* vel *God, die vader is*, i. e. die onze schepper is.

2) ἐνλογία καὶ καθάρα non idem habent subjectum, ἐνλογία Dei, καθάρα hominis ad Dei similitudinem creati. Brevis hic invenitur repetitio primarii momenti Sect. 9.

3) τὰντα ὄντω, non mera vocabulorum accumulatio, dicta enim cohortationis vim augent.

4) ὄντε ἄλυκὸν γλυκὺ. Vulgaris lectio haecce: ὄντως ὀνδεμία πηγὴ ἄλυκὸν καὶ γλυκὺ ποιῆσαι ὕδωρ, quae si retinetur, statuendum, vel hic inveniri repetitionem praemissae similitudinis fontis, vel arboris similitudinem priori illustrandae inservire, hoc sensu quemadmodum ficus tantum ficum et vitis tantum uvas profert, ita idem fons cet. Utraque interpretatio magna

Num ¹⁾ fons ²⁾ ex uno eodemque foramine emittit ³⁾ dulce et amarum ⁴⁾? Num potest, fratres mei, ficus oleas ferre ⁵⁾ aut vitis ficus. Neque salsum dulce.

Duplex affertur similitudo, altera ducitur ex naturae regno, quod vocant *mineralogicum*, altera ex regno *plantarum*. In Palaestina magna invenitur copia fontium, qui vel natura conditi, vel arte humana confecti, pluviae defectum per siccam anni tempestatem compensare debebant. Jam vero neminem latere potuit hanc regnare legem *nullum fontem duplicis generis aquam*

premitur difficultate. Repetitio prorsus friget, praeterea similitudo, similitudinis illustrandae causa adducta, non satis est explicita. Alii vero codices aliam habent lectionem οὔτε οὕτως ἀλίκον γλυκὺ ποιῆσαι ὕδωρ. Eandem lectionem, omisso ὄντως, legunt 13, 27, 29. *Coptica, Vulgata, Corbejensis, Cyriaca, Aethiopica*, probantibus Grotio et Millio. Ulterius etiam procedit Schneckenburger, qui tantummodo recepit lectionem quam et nos sequendam ducimus. Generale hoc nobis videtur dictum quod *similitudinis applicationem seu conclusionem expressam vocabulis e priore similitudine ductis indicat.*

¹⁾ μήτι respondens Hebr. ה interrog. (nec non pro הן et אל סא) indicat quaerentem non probare quod alterius esse iudicium sumit; invitat ad negandum e. g. οὐδαμῶς.

²⁾ ἡ πηγὴ (רִיקָה רַקָּה) a πηδάω *salio, fons s. scaturigo*, quae dicitur prosilire ex una eademque ὄπη prop. *foramen, quod conspici licet*, inde ut n. l. *fissura terra*. Multi putant verba ἐκ τῆς ἀντῆς ὄπῆς a Jacobo addi, quod sciret fontes esse qui ex diversis foraminibus diversas emittunt aquas. Sed haec nimis e longinquo petita. Nam quamvis vel maxime hoc ita sese haberet, certe rarius accidit; auctor vero loquitur de iis, quorum usus est vulgaris. Verba adduntur, ut arbitror, ad juvandam applicationem vel ad amplificandam rei mirabilitatem.

³⁾ βρύει. ἀπᾶξ λεγομένον (a βίω praef. β.) *abunde habeo, plenus sum*; transitive ut h. l. dicitur plerumque de frugibus, quas terra gignit, h. l. de fontibus e quibus aquae emittuntur. βρύει pro δυνάται βρύειν sicuti mox legitur ποιῆσαι δυνάται.

⁴⁾ τὸ γλυκὺ καὶ τὸ πικρὸν vel neutraliter possunt informari vel potest subintelligi ὕδωρ. Πικρὸν et ἀλίκον saepius promiscuae usurpantur.

⁵⁾ ποιῆσαι ut Hebr. הִפְיַע saepius de plantis fructibusve proferendis e. g. Matt. III.

emittere posse. Si qui fons ob maris vicinitatem in ipsa origine erat amarus, non nisi salsam et amaram edebat aquam, contra dulcis fons aquam producebat dulcem, potui haud ingratam. Haec prima est res quae similitudinis causa assumitur: *nullus fons idque ex eadem caverna ebullit dulcem et amarum*; qua in figurata dictione *hominis animus* comparatur cum *fonte*, ejus *os* cum *caverna* atque *bona* vel *mala* dicta, quae ex animo per os proficiuntur, cum *dulci* et *amara aqua*. Metaphoram a *fonte* ad *linguam* translata veteribus non ignotam fuisse docet Philo: *πηγή λόγων διάνοια καὶ στόμιον αὐτῆς λόγος, ὅτι τα ἐνθυμήματα πάντα διὰ τούτου κατάπερ νάματα ἀπὸ γῆς εἰς τοῦφανές ἐπιρρέειν τα ἀναχέεται* 1)

Vis et consilium posterioris similitudinis eodem redit, quo prioris.

Apud Orientales duorum imprimis gratissima erat cultura, *ficuum* et *oliviarum*, qui tamen fructus et aliis multis et sapore plurimum a se invicem discrepabant. Lex enim divinitus instituta jubet ut semper fructus eandem referat naturam atque arbor sive planta. Ficus natura dulcis tantummodo gignit dulces ficus, non item amaras oleae baccas, sic etiam vitis omnis uvas non vero ficus proferebat. Posterior haec similitudo tam frequens apud veteres occurrit, ut ipsa in proverbium abiisse videatur. Sen. Ep. 37. Non nascitur ex malo bonum, non magis quam ficus ex olea. Arrianus *Epict.* II. 20 *πῶ δύναται ἄμπελος μὴ ἀμπελικῶς κινεῖσθαι, ἀλλ' ἐλαϊκῶς; ἢ ἐλαία πάλιν μὴ ἐλαϊκῶς, ἀλλ' ἐμπελικῶς; ἀμήχανον, ἀδιανοήτον.* Plutarchus de *anim. tranq.*, p. 472. *Τὴν ἄμπελον σύκα φέρειν οὐκ ἀξιούμεν, οὐδὲ τὴν ἐλαίαν βότρους.* coll. Antoninus VIII: 15. *ἀισχρὸν ξενίζεσθαι εἰ ἢ συκὴ σύκα φέρει et ὁ μὴ θέλων τὸν φαῦλον ἀμαρτάνειν ὁμοίως ἐστὶ τῷ μὴ θέλοντι συκὴν ὁπὸν ἐν τοῖς σύκοις φερεῖν.* Christus quo-

1) Similis metaphora apud nostrates: een vloed, een stroom van woorden.

que eadem usus est Matt. VII: 16 adversus pseudo-prophetas dicens: *μητι συλλέγουσιν ἀπὸ ἀκανθῶν σταφυλὴν ἢ ἀπὸ τριβόλων σῦκα*. Utrum Jacobus ad illud Christi effatum respexerit, in tanta scriptorum copia qui eandem adhibent comparisonem, dicere non ausim.

Admiranda vero scriptoris prudentia, qua in cohortando non utitur verbis formulisque obscurae et e longinquo petitae significationis, sed talibus quorum sensum populus bene habuit perspectum, et quorum auctoritas, propter hunc ipsum vulgarem usum a nemine facile negligi potuit. Jacobus utriusque comparisonis *applicationem* sive potius *conclusionem* complectitur verbis *οὔτε ἀλυκὸν γλυκὺ*, quod generale dictum commode vertitur *qualis causa talis effectus* vel, *ad semen nata respondent*, unde sponte effluit singularis applicatio ad rem prolatam. Nimirum hoc est quod Jacobus binis allatis similitudinibus luculenter indicat, legem, quam creator *omnibus naturae rebus* praescripsit postulare ut statuamus *animum* nullo modo dulcia et simul acerba posse edere. Si qui igitur inveniuntur homines qui Deum laudibus celebrant, eundemque in pulcherrimo ejus opere (homine ad ejus similitudinem creato) exsecrando, contumelia afficiant, summo jure inde concludere licet laudationem fictam et mentitam esse ¹⁾. Animus acerbus, in maledicta erumpens, nequit landes edere sinceras Deoque gratas.

1) Uterius in applicatione progressi sunt Jaspis: «nobilissima igitur creatura, coryphaeus creationis, homo maxime sua illustrissima dignitate indignum agit, si sibimet ipsi ita est contrarius ut in tota rerum natura nihil simile inveniatur.» Erasmus: «Annon enim monstri simile videtur, eundem hominem ex eodem corde per eandem linguam pietatem et impietatem, veritatem ac mendacium, salutem et exitum deponere?»

CAPUT V. SECT. 7.

HOMINIS CHRISTIANI PATIENTIA.

ὑπομονῆς γὰρ ἔχετε χρείαν· ἵνα τὸ θε-
λημα τοῦ θεοῦ ποιήσαντες, κομίζησθε
τὴν ἐπαγγελίαν.

PAULUS.

Μακροθυμήσατε οὖν, ἀδελφοί, ἕως τῆς παρου-
σίας τοῦ Κυρίου. Ἴδου, ὁ γεωργὸς ἐκδέχεται
τὸν τίμιον καρπὸν τῆς γῆς, μακροθυμῶν ἐπ'
αὐτῷ ¹⁾, ἕως ἂν λάβῃ ὑετὸν ²⁾ πρῶτον καὶ
ὄψιμον.

Patientes igitur animo estote ³⁾ fratres usque ad Do-
mini adventum. Ecce, agricola exspectat carum fruc-
tum terrae, patienter ei intentus, dum accipiat pluviam
primorem et serotinam ⁴⁾.

1) Omittunt *Armeniaca* et *Aethiopica*; ἐπ' αὐτὸν legunt 25, 40, 57, 66; ἐπ' αὐτῆς 43.

2) Abest a A, *Aethiopica*, *Armeniaca*, *Itala* (*harlejana*) et *Vulgata*, qui eam prosus emittunt et ab *Itala* (*corbejensi*), *Coptica*, *Syriaca posteriore* in *marginē* aliisque, qui *fructum* addunt. Quod ad *sensum*, parum refert utrum legamus ὑετὸν an καρπὸν.

3) μακροθυμήσατε. Comp. ex μάκρος et θύμος *longo animo esse*. Quum θύμος frequenter dicatur singulatim de *animo irato*, inde notio *iram differre*, *leni esse animo*, hoc loco, in *injuriis perferendis*.

4) ὑετὸν x. τ. λ. Lutherus aliique putarunt hīc mentionem fieri de

Auctor, in praecedentibus, versatus erat in castigandis diviti-
bus, qui fratres opprimere solebant. Nostro loco commode transit
ad oppressos consolandos atque commendandam patientiae vir-
tutem. Ut monitum illustraret atque confirmaret hanc affert
comparationem: *sicuti agricola semper patientem sese praebet
expectans tempestatem, qua fruges maturescant, ita hominem
christianum quoque decet semper bonam habere spem, expectan-
tatem Domini παρουσία.* Quaeritur quanam hic intelligenda
sit παρουσία, et primum quidem Dei an vero Christi. Quamvis
Augustinus recte animadvertit appellationem Domini in tota epis-
tola tantopere sibi constare ut ad lectores a cogitatione Dei
avocandos disertiore indicio opus fuisse videatur, tamen ab al-
tera parte tot sunt N. T. loci ubi sola memoratur Christi πα-
ρουσία ¹⁾ ut haud dubitemus hic quoque sermonem esse de
Christi adventu.

Vario sensu Christus dicitur *adesse* vel *advenire* hominibus.
Mihī nullum est dubium quin Jacobus hoc loco in mente habuerit
Domini *judicium*, quod propediem habendum putabant Apos-

*pluviis, quae sub ortum et occasum solis cadunt; quae interpretatio orationis
contextui non congruit. Malo igitur intelligere pluviam primam et seroti-
nam, de qua mox plura.*

1) παρουσία τοῦ κυρίου scilicet Christi 1 Thess. II: 19. III: 13.
IV: 23. 2 Thess. II: 18. 2 Petr. III: 4. παρουσία τῆς τοῦ θεοῦ ἡμέ-
ρας semel 2 Petr. III: 12.

2) De παρουσία Christi legi merentur vener. U. P. Goudschaal, *In
welk eenen onderscheidenen zin wordt Jezus in de Schriften des Nieuwen
Verbands gezegd te komen, en laat zich dat ook tot ééne voorstelling ver-
eenigen*, in Ephemeridibus *Waarheid in Liefde*, 1839, III, 469 atque vener.
M. A. Jenting, *Het bijbelsch begrip van de voleinding der wereld, in
verband met dat der toekomst van Christus*. Een historisch-exegetisch-dog-
matisch onderzoek, in *Jaarboeken voor wetenschappelijke theologie*, 1850, p.
100—179 et p. 239—333, quem recensuit Doct. van Oosterzee, ibidem
1851, p. 675—729, ad quae iterum sua reposuit vener. Jentink, ibidem
1852, p. 313—341 et 488—537.

toli 1). Sana enim interpretandi ratio postulat ut statuamus *παρουσίαν τοῦ κυρίου* idem significare, quod, sequenti sectione, verba: *κριτῆς πρὸ τῶν θυρῶν ἔστηκεν* 2). Utrum vero hoc iudicium sejunctum credebatur a solempni Christi apparitione, qua Hierosolymis evertendis á Judaeis poenam peteret, affirmare non ausim. Deo placuit, ob gravissimas sane ac sapientissimas causas, hac de re primos Christi sectatores non illustrare.

Agricultura et res, quae ad eam pertinent saepius a scriptoribus N. T. in similitudinem adducuntur. *Patrem coelestem* vocat Christus *τὸν γεωργόν* 3); quod ipsum nomen a Paulo Apostolo ad *homines* transfertur 4). De *se ipso* profitetur Dominus noster se esse *τὴν ἀμπελον τὴν ἀληθινὴν* 5), atque alio loco se *σπείρειν τὸ καλὸν σπέρμα* nempe *τὸν λόγον τοῦ θεοῦ* 6). *Evangelium qui annuntiant* dicuntur Dei *συνἔργοι, adiutores θεοῦ γεωργου* 7). Imprimis frequentissimae sunt metaphorae *serendi* et *metendi* 8). Neque est ut de constanti harum imaginum delectu miremur. Agricultura in Oriente res erat admodum familiaris. Apertissima igitur atque haud obscurae significationis omnis erat imago quam ab ipsa petebant veteres. In specie quod ad nostram attinet rem, quodsi singularem laboris rustici laborem attendamus, luculenter patet appellationem *agricolarum* Christianorum conditioni et laboribus apte convenire.

1) Phil. IV: 5. *ὁ κύριος ἔγγις*. Hebr. X: 25. *Βλέπετε ἐγγιζούσαν τὴν ἡμέραν.*

2) Matt. 24, 33. ubi fere eadem legitur formula, *ὅταν ἴδῃτε πάντα ταῦτα, γινώσκετε ὅτι ἔγγυς ἔστιν ἐπὶ θύραις* nempe *ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου*.

3) Joh. XV: 1. *ὁ πατὴρ μου ὁ γεωργός ἐστι.*

4) 2 Tim. II: 6. *τον κοπιῶντα γεωργὸν δεῦ πρώτον τῶν καρπῶν μεταλαμβάνειν.*

5) Joh. XV: 1.

6) Matt. XIII: 37. col. Luc. VIII: 11.

7) 1 Cor. III: 9.

8) 1 Cor. III: 6 alibi.

Jacobus commemorat diurnam agricolae patientiam positam illam in tranquille expectandis *primoribus* et *serotinis aquis*. Ad rite existimandam scriptoris accurate dicendi rationem haec sunt monenda. In Oriente duae tantummodo praecipuae redibant tempestates, altera humida, sicca altera. Quamquam per tempestatem humidam coelum semper nubibus erat obtectum, ineunte tamen atque exeunte hac aetate et gravissimae et frequentissimae pluviae cadebant. *Pluvia autumnali tempore cadens* vocabatur יִרְיָה et מוֹרְיָה *irrigans* quia inservit foecunditati seminis, diurno calore aestivo omni quasi succo exhausti, quam maxime provehendae. *Pluvia verno tempore cadens* dicebatur מְלִקוֹשׁ *collectionem frugum adjuvans*. Auctor vocat pluviam autumnalem *πρωΐμων*, vernam *ᾠψίμων*, quia Judaeis a mense Octobris annum incipientibus, autumnus verno tempore prior erat. Denominatio illa primum occurrit versione Alexandrina. Jam vero, ut ipsa nomina indicant Hebraica, in Palaestina omnis agriculturae successus a duplici hac pluvia dependet ¹⁾.

Agricola itaque dicitur multum sudare variosque labores patienter perferre spe ductus fore ut Deus aliquando demittat, quibus fruges ad maturitatem perveniant, pluvias. Haud aliter atque ille, Christi vere discipulus nunquam animum despondet, sed continuo bonam conservat spem donec laetus appareat Domini messis.

¹⁾ Inde explicandum cur utraque in *fertilitatis promissione* saepius juxta se appellentur, ut Deut. XI: 14. Jerem. V: 24. Joël II: 23. Zach. X: 1. et (apud LXX) Hos. VI: 3.

ALII NONNULLI LOCI, POËTICIS DISTINCTI COLORIBUS,
BREVITER EXPONUNTUR.

(C. I. S. 18. 21. C. IV. S. 14. C. V. S. 4).

Praecipuas, quibus Jacobus epistolam illustrat, dictiones poë-
ticas interpretati sumus. Ne vero plane inabsolutum videatur
nostrum quaecumque opusculum, restat ut, ultimâ hoc sectione,
alias quoque nonnullas imagines atque comparationes, quarum
brevior tantummodo requiritur explicatio, leviter attingamus.

Primum igitur in his locum obtinet:

Cap. I. Sect. 18. βουληθεὶς ἀπεκύησεν ἡμᾶς λογω ἀλη-
θείας, εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς ἀπαρχὴν
τινα τῶν αὐτοῦ κτισμάτων.

Pro mera sua voluntate genuit nos verbo veritatis,
ut essemus primitiae quaedam ¹⁾ naturarum ejus.

Pulchra haec est clausula disquisitionis Apostolicae de Deo
nullius mali auctore ²⁾. Praecedente sectione Jacobus Deum
celebraverat τὸν πᾶτρα τῶν φώτων a quo nil nisi bona at-
que perfecta qualiacumque descendant. Quod nobilissimum ef-
fatum h. l. egregie illustrat argumento historico: *Deus re-
vera omnis perfectionis habendus est fons limpidissimus*

¹⁾ τῖνα. Pronomen indefin. τις constructur cum dictione metaphorica ad
sententiam paullo audaciorem mitigandam. Cf. Winer, l. l. p. 195.

²⁾ Cf. p. 14.

nam pro mera sua benignitate homines per religionem denuo regeneravit (ἀπεκνήσεν).

Vocabula, quibus, ut nostro ἀποκνύειν, generandi sive regenerandi 1) inest notio, in omnibus linguis tropice usurpantur de iis, quorum tristis conditio in laetiores est mutata 2). Hinc Deus in V. T. dicitur genuisse gentem Israëliticam, quum eam ab Aegyptiorum servitute liberaverat 3). Imprimis autem Judaëis haec translatio solemnis erat in sermone de proselytis, qui, relicta Idololatria, Mosaïcam amplectebantur doctrinam. Similem vero loquendi modum etiam N. T. sequuntur auctores. Ejusmodi enim vocabula quam saepissime adhibent ad significandos tales homines, qui, veteri deposito religionis cultu, Christo dederant nomen. Scilicet hac ipsa conversione ii novam quasi vitam spiritualem agebant; aliis verbis, ut tropum ad analogiam vitae physicae explicemus, quoad cogitandi, sentiendi et agendi consuetudinem magnam subierant mutationem 4).

Spiritualis haec ἀποκνήσις a Jacobo Deo attribuitur auctori 5). Ille homines regeneravit βουληθεῖς 6), nulla alia re commo-

1) γεννᾶν, ἀναγεννᾶν, γεννησιᾶ, παλιγγενησιᾶ, ζωοποιεῖν, ἀνωθεν γεννηθῆναι, καινὸν ἄνθρωπον ἐνδύσασθαι et alia.

2) In specie veteres haec vocabula usurparunt de exulibus qui, domum ubi redierint, pristinam recipiunt dignitatem. Hoc sensu vox παλιγγενεσιᾶ invenitur apud Josephum *Antiq. Jud.* XI. 3. 9. de reditu Judaeorum e captivitate Babylonica. Eadem voce utitur Cicero *ad Attic.* VI. 6. ut designaret revocationem suam in patriam.

3) Deut. XXXII: 18.

4) C. C. Tittmanni singularis disputatio de *vocabulis oeconomiae salutis*, voce *regeneratio*; L. J. p. 310 seqq.

5) Johannes, Apostolus, qui item regenerationem divinam a Deo repetit, ideo *Christi sectatores* vocat τοὺς γεγεννημένους ἐκ τοῦ θεοῦ. 1 Joh. II: 29. III: 9. τα τέκνα θεοῦ. III: 3. Deum vero ipsum τον γεννήσαντα = τον πάτρα. V: 1. — Ceterum satis constat eadem vocabula etiam adhiberi de *Apostolis gentiles vel Judaeos ad religionem Christianam adducentibus*. Cf. Gal. IV: 9. 1 Cor. IV: 15. Philem. 10.

6) Addita haec vox magnam habet vim, ratione habita orationis contextae

tus quam libera sua voluntate idque quidem non immediate, ut in philosophorum scholis dicitur, sed λόγω ἀληθείας 1) ope usus sanctissimae doctrinae evangelicae quae omnis veritatis est dux ac magistra. Finem quem spectat regeneratio divinitus instituta indicant proxime sequentia verba εἰς τὸ εἶναι κ. τ. λ.

Quaeritur quonam potissimum sensu accipienda sit ἀπαρχή. Imago desumitur a frugum primitiis, quae Deo erant sacrae. Quum autem illae primitiae, sicuti Israëliitarum primogeniti Deo sacri, ut sponte intelligitur, ceteris habebantur excellentiores 2) inde vox translate dicitur tam de primis, quam de praecipuis 3). Illam notionem ii interpretes accipiunt qui seq. τῶν αὐτοῦ κτισμάτων explicant de Christianis vel, monente Grotio, subintellecto καινῶν sive νεῶν, quod non semper exprimitur, sed ex rei natura intelligitur 4), vel, ut Hottingerus voluit, urgendo αὐτοῦ quasi dictum de veris (αὐτοῦ κατέξοχην) Dei filiis. Quae interpretatio si recte sese habet, Jacobus hic solos designat Judaeos, qui primi conversi hac re primitiae haberi possunt messis largioris in posterum exspectandae 5). Haec sen-

»Quomodo,” inquit Jacobus, »fieri potest ut idem ille Deus qui tale atque tantum in homines contulit beneficium eos ad mala alliceret.” Eodem sensu quo hic βουληθεῖς usurpatur Ephes. I: 11. »κατὰ τὴν βουλήν τοῦ θελήματος αὐτοῦ.” et 1 Petr. I: 3. »κατὰ τὸ πολὺ αὐτοῦ ἔλεος.”

1) Plane incommoda est interpretatio, quam commendavit Schultessius de ratione et ipsa vera et veri indagatrice. Jacobus procul dubio hic spectat evangelium quod in eadem orationis serie vocat τὸν ἔμφυτον λόγον τὸν δυνάμενον σώσαι τὰς ψυχὰς ἡμῶν. S. 21. τὸν νόμον ὑπερῖον τὸν τῆς ἐλευθερίας. S. 25. Petrus loco parallelo Christianos a Deo regeneratos habet »διὰ λόγον ζωῆτος Θεοῦ καὶ μένοντος εἰς τὸν αἰῶνα.” 1 Petr. I: 23.

2) Cf. Num. XVIII: 12.

3) Recte Scholiastes ad Eurip. Orest. 96. ἀπαρχὴ ἐλέγετο οὐ μόνον το πρῶτον τῆ τάξει ἀλλὰ καὶ το πρῶτον τῆ τιμῆ, ὅθεν καὶ ἀπαρχὰς κάρπων προσῆγον οἱ παλαιοὶ καὶ ὀνόμαζον, τα κρεῖττονα ἐκλεγόμενοι.

4) Cf. Eph. II: 10. III: 3.

5) Ita post Grotium, Semlerus, Pott, Gebserus, Augustius, Theilius aliique.

tentia, quod ad grammaticam rationem, nullas parit molestias. Ἀπαρχάς enim dici de iis, qui ante alios erant vocati testantur Rom. XVI: 5. 1 Cor. XVI: 15; quin hanc ipsam ob causam *Judaeis* idem attribuitur nomen Rom. II: 16. Attamen vereor ut talis Judaeo-Christianorum electio nostro conveniat loco. Quapropter equidem puto Jacobum hic universe indicare τοὺς πιστευόντας qui per divinam regenerationem *rerum creaturarum* (κτισματῶν) *primitiae quasi* facti sunt i. e. adempta imagine, qui reliquis naturis sanctitate et dignitate longe antecellunt 1).

Cum hoc loco arcte cohaeret alter, qui nunc nobis est tractandus, locus. Jacobus, ubi monuerat Deum per evangelium homines ad sanctitatem informare, deinde fratres cohortatus erat sect. 20: prompti estote ad audiendum, tardi ad loquendum, tardi imprimis ad iram. Iracundia enim non parit justitiam coram summo Numine. Jam in eadem cohortatione pergit.

Sect. 21. Διὸ ἀποθέμενοι πᾶσαν ὕπαρξίαν καὶ περισσεΐαν κακίας, ἐν πραυτητι δέξασθε τὸν ἔμφυτον λόγον, τὸν δυνάμενον σῶσαι τὰς ψυχὰς ὑμῶν.

Quam ob rem, quum talis iracundiae sit ratio, omnibus vitiorum sordibus excrementisque depositis placido animo accipite verbum insititium, quod salutem afferre valeat vestris animis.

Verbum divinum saepe comparatur cum *semine* aut cum *planta*, quae in hominis animo inseritur aut plantatur ut ibi radices agat fructusque proferat. 1 Petr. I: 23. Christiani dicuntur ἀναγεγεννημένοι οὐκ ἐκ σπορᾶς φθαρτῆς, ἀλλὰ

1) Hujus sententiae patronos sese praestiterunt Calovius, Estius, Bengel, Schneckenburger, de Wettius.

ἀφ' ἑαυτοῦ, δια λόγου ζῶντος Θεοῦ καὶ μένοντος εἰς τὸν αἰῶνα 1). coll. 1 Joh. III: 9.

Auctor noster hanc adhibet metaphoram fratres jubens ut *placido animo* 2) *admittant*, in se suscipiant, τὸν ἔμφυτον λόγον. Scio equidem non deesse, qui hic intelligant *legem naturalem* sive *verbum internum*, quod Rom. II: 14. dicitur τὸ γραπτόν ἐν ταῖς καρδιαῖς; sed haec sententia, omnino rejicienda videtur. Quorsum enim monentur lectores, ut recipiant sermonem, quem jam animis habent innatum? Contra, orationis contextum si consulimus vix restat dubium quin hoc loco unice valeat explicatio, quam maxima tam antiquiorum quam recentiorum interpretum sequitur pars de *verbo externo* sive *evangelio* quod, seminis instar, *hominum animis inseritur* 3), cujusque tanta est vis ut unumquemque possit *salvum reddere* 4).

Quemadmodum prudens agricola, priusquam semina terris mandat, summam adhibet curam ut agrum incultum a sentibus,

1) Ob diversum particularum ἐκ et δια usum non facio cum iis qui posteriore formulam δια λόγον κ. τ. λ. praecedentis habent ἐξηγησιν. Neque mihi placet sententia eorum, qui ἐκ σποράς κ. τ. λ. accipiunt de *spiritu sancto*; cui interpretationi utrum faveat grammatica ratio vehementer dubito. Mihi probabilis videtur explicatio, quā statuit Hutherus, auctorem σποράς κ. τ. λ. dixisse de *verbo divino*, idque *ratione habita divinae vis, quae ipsi inest*. Vis illa jure dici potest σπόρα τῆς παλλινγενείας. Cf. ejus *commentarius ad hanc epistolam*. Göttingen 1852.

2) ἐν πραϋτητι. Egregie ad nostram rem Heisenius: *sedata mente optime addiscitur; nebulae sunt affectus, quae intellectus ac rationis lumini tenebras affundunt; cum maxime vero lenae ac placidum evangelii pacis praeconium auditores sui similes deposcit*.

3) ἔμφυτον. Ob praecedentem δέξασθε haec voci *prolepsin* inesse cum de Wettio statuimus. Talem *prolepsin positam in Adjectivo effectus* non alienam esse veteribus docet Sophocles Oed. Col. 1202. «τῶν σῶν ἀδέρκτων ὀμμάτων τῆτώμενος pro ὥστε γενέσθαι ἀδερκτα. Cf. Winer, l. l. p. 680.

4) τὸν δυνάμενον κ. τ. λ. eodem sensu evangelium dicitur δύναιμις Θεοῦ εἰς σωτηρίαν. Rom. I: 16.

spinis ceterisque sordibus purget quo felicius seminata deinceps
 increscant, sic etiam homines decet sese liberos praestare ab
 omni malignitate aliisque pravis affectibus 1) qui ipsis inhaerent.
 Quod si negligitur animus verbum divinum recte capere nequit 2).
 Hoc ipsum est, quod sibi voluit Jacobus additis: »διὸ ἀπο-
 θέμενοι κ. τ. λ.» Convenienter dictae comparationi hominum
 vitia pulchre confert cum zinaniis, spinis et sentibus, quae
 animo, veluti agro inculto, sunt obsitae.

Loquutiones, quibus utitur auctor, veteribus, imprimis Phi-
 losophis Pythagoricis, usitatas fuisse multis testimoniis indicat L.
 Bos 3); quorum ad nostrum locum illustrandum unum afferre
 liceat. In epistola Lysidis apud Jamblichum *vita Pythagorae*
 p. 65 legitur: *prius silvas illas in quibus hi affectus sta-
 bulantur, igne ferroque et omnibus disciplinarum machinis
 purgare oportet et rationem a tantis malis liberare, το τη-
 νικάδε ἐμφυτευειν τι χρησιμον αὐτῶ και παραδιδομεν.*

Tertius locus invenitur

C. IV. S. 14^b. Ποία γὰρ ἡ ζωὴ ὑμῶν; ἀτμὶς γὰρ ἔστιν
 ἢ πρὸς ὀλίγον φαινομένη, ἔπειτα δε ἀφα-
 νιζομένη.

Qualis enim est vita vestra? Vapor enim est qui
 per breve tempus apparet, deinde evanescit.

1) πᾶσαν ἑνπαρίαν καὶ περισσέειαν κακίας. ἑνπαρία
 (α ἑνπαρός) ἀπαξλεγόμενον, sordes, metaph. vitium. περισσέεια κα-
 κίας, abundantia, excrementum mali constructur eadem ratione qua Philo. *de
 rect. off.* p. 854. B. »περιτέμνεσθε . . . τὰς περιττάς φυσεῖς
 [ἐμφύσεις] τοῦ ἡγεμονικοῦ. Quamvis κακία universe denotat vitiosi-
 tatem, puto tamen Jacobum hoc loco singulatim spectare malignitatem op-
 positam τῶ ἐν προῦντι.

2) ἀποθέμενοι — δεξασθε. Bini Aōristi juxta se positi indicant
 utramque rem (vitia extrahere et semina excipere) tam arcte cohaerere ut
 altera sine altera cogitari nequeat.

3) L. Bos, l. l. p. 271.

In eo est auctor ut nonnullorum castiget levitatem, qua in consiliis ineundis aut rebus disponendis, suae imbecillitatis plane obliti, sibi solis confidere solebant. Huic temere agendi rationi Apostolus opponit vitae humanae fragilitatem atque brevitatem, instituta comparatione inter eam atque ἀτμίην id est *vaporem* sive *fumum*. *Quemadmodum ἀτμίς, vix aut ne vix quidem conspectus, mox eranescit, sic etiam admodum fluxa et caluca hominis vita est habenda.*

Nulla certe est res, in qua illustranda et exornanda oratores non minus atque poëtae tantopere exercuerint ingenii vim et ἐνεργείαν quam quidem *vita humana*. Tot enim sunt negotia, quibuscum, nullo non temporis spatio, est comparata, ut ea omnia recensere nequeamus ¹⁾. *Singulatim* quod attinet ad *sacros scriptores*, J. Cats ²⁾, poëta laudatissimus, nonnullas collegit similitudines, ab his in vitae descriptione allatas; quarum multitudo numerum viginti et quinque excedit ³⁾.

Inter varias autem, quibus vita comparari solet, similitudines,

1) Nonnullas comparationes ita complectitur Gregorius Nanzianenus, *epitaphium in Caesarium*: «ὄναρ ἐσμεν ὄνχ ἰστέμενον, φάσμα τι μὴ κρατοῦμενον, πτήσις οὐρίου παρερχόμενον, ναῦς ἐπὶ θαλάσσης ἕχνος ὄνχ ἔχουσα, κόμης, ἀτμίς, ἔωθινή δρόσος, ἀνθος καιρῶ φθόμενον καὶ καιρῶ λνόμενον.»

2) J. Cats, *Dootkiste voór de levendige of sinnebeelden uit Godes woort; aanwijzende de kortwijligheid, ijdelheid en onsekerheit van 't menschelijck bedrijf*, edit. quae prodiit maxima forma, volum II. p. 402.

3) *Præcipuas* has enumeramus. Vita humana propter *labores ac molestias ipsi adjunctas* comparatur cum *itinere sine peregrinatione* (Gen. XLVII, 9. Prov. XVI: 17. col. Hebr. XIII: 14 et Philipp. III: 20) cum *militia* (Prov. XIV: 26. XVIII: 10 seqq. col. 2 Tim. II: 3) et cum *Graecorum athletorum ludo* (1 Cor. IX: 24. seqq. col. Jacob. I: 12); ratione habita ejus *brevitatis* cum *cursore* (Job. IX: 26), cum *rapidis navibus* (Job. IX: 27): cum *aquila celeriter ad escam involante* (Job. IX: 28), cum *umbra* (Job. VIII et alibi. — [Pindarus imaginem *umbrae* cum imagine *somni* alicubi conjunxit «σικιᾶς ὄναρ ἀνθρώποι»]), cum *vento* (Job. VII: 7), cum *trama* (Job. VII: 6), cum *animi cogitatione* (Ps. XC: 9), cum *aqua nivali* (Job. XXIV: 19), denique ut de aliis taceam, cum *floris herba* (vid. loci allati, p. 14).

imaginem *umbrae* si forte excipis, nemo facile aliquam inveniret, cujus frequentior apud veteres est usus quam nobis, hac in re, constat de *comparatione* quae a *fumo* sive *vapore* ducitur. Nam hujus sententiae et profani et sacri repleti sunt libri. Praeter notissimum Horatianum »*umbra et pulvis sumus* 1)» sufficiet in memoriam revocare illud Aeschyli 2) (de *vita humana*):

»καὶ πιστὸν οὐδεν μᾶλλον, ἢ κάπνον σκιᾶ.»

atque illud Senecae: »*ut calidus fumus ab ignibus evanescit spatium per breve sordibus; sic hic, quo regimur, spiritus effluet.*» E sacris scriptis, praeter Ps. CIII: 4. in censum venit pulcherrima pericopa, quae invenitur *Libri Sapientiae* C. II: 2 seqq.: »*καπνὸς ἢ πνοὴ ἐν ἡσίσιν ἡμῶν, καὶ ὁ λόγος σπινθήρ ἐν κινήσει καρδίας ἡμῶν; ὃν σβεσθέντος τεφρα ἀποβήσε τὸ σῶμα, καὶ τὸ πνεῦμα διαχυθήσε ὡς χαῦνος ἀήρ. παρελεύσεται ὁ βίος ἡμῶν ὡς ἰχνη νέφέλης, καὶ ὡς ὀμιχλή διασκεδασθήσε διωχθεῖσα ὑπὸ ἀκτίνων ἡλίου, καὶ ὑπὸ θερμότητος αὐτοῦ βαρυνθεῖσα* 4).

1) Od. L. VIII. Od. VII: 16.

2) Fere idem cecinit Euripides in *Protesilao* apud Johannem Stobaeum.

»Ὁν θαῦμ' ἔλεξας θνητον, ὄντι δυστυχεῖν,

» Ἀνθρωπὸς ἔστι πνεῦμα καὶ σκιᾶ μονον.»

3) Seneca *Troad.* 393.

4) Totus locus de *vitae brevitate*, Sect. 1—6, lectu dignissimus. — Noster Cats *comparationem vitae cum fumo* sive *vapore* ita exposuit l. l.

»Wanneer een dicke wolck is in de lucht geresen

Het schijnt aan ons gesicht een wonder ding te wesen;

Het maect een beeldt, een rots, een toren in de lucht,

En wie het niet en kent die is er voor beducht;

Maer toeft een kleine wijl, daar gaat het wonder henen,

Het beeld is uit het oogh, de rots die is verdwenen;

Het kind dat met een schrick het seltsaem monster sag,

Dat roept tot sijns gelijk, waar is het groot beslagh?

Maer kinders! vraagt gij dat? het flickert met de winden,

Superest denique:

C. V. S. 4. Ἴδού, ὁ μισθὸς τῶν ἐργατῶν τῶν ἀμη-
σάντων τὰς γῶρας ὑμῶν, ὁ ἀπεστερημένος
ἀφ' ὑμῶν, κράζει· καὶ αἱ βοαὶ τῶν θερι-
σάντων εἰς τὰ ὦτα κυρίου σαβαὼθ ἔσει-
ληλυθασιν.

Ecce, merces operariorum, qui demessuerunt cam-
pos vestros, denegatus a vobis, clamat: atque clamor
messorum in aures Domini agminum penetravit.

Gravissima hic invenitur divitum reprehensio, qui auri argenti-
que amore abrepti pauperos injuria affligere, eosque tyranno-
rum instar vexare solebant. Tristem, quam iis imminere putat,
cladem ubi, in praeced., fervidis depingere coepisset verbis,
jam in eadem descriptione ita pergit ut ipsas operariorum mer-
cedes Dei vindictam implorantes sibi proponat.

Quo gravior videretur illa castigatio, Jacobus de industria com-
memorat ipsa mercenariorum opera additis: τῶν ἀμεσάντων
κ. τ. λ. Ex institutione Mosaicâ sancta valebat lex 1), qua
egenum mercede defraudare Judaeis severe interdicebatur. Neque
id, ut quisque facile percipit, injuriâ. Quodsi enim, recte mo-
nente Calvino, vir humanus et aequus curam habet jumentu sui;

En waer ghij soeken meugt, 't en is niet meer te vinden;

Het mengt sich met de lucht, het gaet een vreemde gank;

En wat er overblijft en is maar enkel stank:

Al komt 'er eenig mensch gansch moedig aengestrecken,

Noch wort hij met den reuck ten rechten vergeleken

Want of hij prachtig gaet, en of hij machtig schijnt:

't Is maer een oogeblik, en al sijn glans verdwijnt:

Sijn rijkdom is gegaen, sijn vrienden wech getogen;

Sijn staet is zonder glans, sijn eer is wegh gevlogen:

Soo dat een stil gepeijs mij weder segge doet;

De mensch is enkel roock, waartoe 'een hoog gemoet?"

1) Vid. Deut. XXIV: 14. Lev. XIX: 13. col. Mal. III: Tob. 14. Sir.
XXXI: 21 sqq.

haec prodigiosa saevitia est, quum homo erga homines, ejus sudores in suum commodum exsugit, nulla misericordia tangitur. Haec autem, quae in genere valent praesertim sunt referenda ad nostros, divites, qui mercede spoliabant τοὺς ἀμησαντες.

Agros enim demetere 1), in Oriente, ob calidam aëris temperum labor est longe difficillimus. Quid igitur crudelius fingi potest, quam his ipsis messoribus debita detrahere.

Alia insuper est res, quae in descriptione Apostolica magnam habet vim et ἐνέργειαν. Solemnem dico appellationem τοῦ κυρίου σαβαώθ 2). Dei indicat omnipotentiam, qua infinitis veluti copiis instructus universi existit Rex et Gubernator. Haec igitur appellatio non aliter fieri potest quin magnum nostris divitibus injiceret timorem, reputantibus summum esse Deum, omnia curantem, quem pauperes etiam atquemiseri suorum rerum habebant curatorem et vindicem.

Quod ad totam hanc sectionem, *sermo*, quo utitur auctor, est plane *propheticus*. „Omnia conspirant ut antiqua tempora rediisse putes, et non Jacobum, sed Jesaïam exteris divinitus interitum aunnuntiantem audire tibi videaris” 3). Notum est quod in libro Genesios 4) de caeso Abele narratur: *ipsius sanguinem ex terra ad Deum voce conqueri*. Similem πρόσωποποιΐαν, paullo audaciorem, quam, in fallor, ni Vetere Testamento bis 5) repe-

1) ἀμάω, ἀπαξλεγόμενον, idem quod seq. θερίζειν, colligo, demeto.

2) κύριος σαβαώθ Hebr. יהוה צבאות dominus agnium sc. coelestium. A LXX redditur Ps. XXIV: 10. „κύριος δυνάμεων.” Jes. I: 24. „δεσποτης.” 2 Sam. V: 10. „παντοκρατωρ. Haec appellatio quam saepissime occurrit in V. T. singulatim apud Jesaïam. In N. T., nostram si excipis locum, semel Rom. IX: 29.

3) Verbis utor doct. Blom, l. I. p. 180.

4) Gen. IV: 10. De hujus loci sublimitate legi merentur, quae animadvertit Herder, *de geest der Hebreewsche poëzij* (edit. Belgicae 1786). Tom. II. p. 56 seqq.

5) Job. XXXI: 38 seqq. humus, qui injuste occupatur, dicitur conqueri. Hab. II: 11. parietes et tigna domus sanguine aliorum aedificatae clamant in eum, qui ipsam construxit.

titam legimus, noster quoque auctor adhibet. *Merces enim miseris defraudata Dei Judicis opem invocat.* Hujusmodi sublimem poëtarum figuram, ad orationis gravitatem augendam multum conferre nemo qui recto gaudet pulchri sensu, facile in dubium vocabit. Quanta depingitur peccati atrocitas, de quo, si vel homines obmutescant, res ipsas vociferantes accipimus. Profecto hic locus ad lectoris animum commovendum optime est compositus.

Haec sunt, quae de dictione poëtica in epistola Jacobi monenda habui. Quid alii sentiant nescio. Mihi quidem — profiteri enim liceat — gratum fuit ac jucundum hujus dissertationis argumentum. Quo plenius inquisiverim in auctoris scribendi rationem, eo firmior me tenuit persuasio Jacobum, quoad dictionis perspicuitatem, elegantiam et gravitatem, cum celebratissimis quos vel Graecia vel Latium peperit scriptoribus haud immerito posse aequiparari. Imagines et similitudines, etiamsi frequentes ab ipso adhibentur, minime tamen sunt exaggeratae; contra prudens ubivis eorum delectus. Et si de fontibus quaeris, omnes a talibus ducuntur rebus quarum notitia ne tardiora quidem ingenia effugere potuit. *Naturae imprimis spectaculum*, quippe unicuique apertum, in comparationibus instituendis magnam ipsi praebuit notionum copiam. Quae cum ita sint, poëticas has figuras apud Jacobum certe scriptorem summo jure dici merentur *lumina orationis* quae sententiis non modo exornandis sed etiam illustrandis mirifice opitulantur. ||

T H E S E S.

I.

Egregium Chrysostomi monitum de *parabolorum* interpretatione item valet de *imaginibus comparationibusque* explicandis: οὐδὲ γρη̅ πάντα τὰ ἐν ταῖς παραβολαῖς κατὰ λέξιν περιεργάζεσθαι· ἀλλὰ σκοπὸν μαθόντας, δίδον συνετέθη, τούτον δρέπεσθαι, καὶ μηδὲν πολυπραμονεῖν περαιτέρω.

II.

Rom. V: 12. vox θάνατος explicanda de morte *physica*.

III.

Quae a Paulo Apostolo Rom. VII: 15 seqq., de summa

